

fi 586,34

N. 3.

Vol: 3

Yc
5531

X 202262

DEI ET SUPERIORUM
 PERMISSU
JUS STAPULAE
 PRO LICENTIA
 SUMMOS
 IN UTROQUE JURE HONORES
 CONSEQUENDI
 IN URBE PATRIA
 IN PUBLICUM SISTET SOLENNITER
 AD DIEM XI. SEPT. ANNI CHRISTIANI
 M DC LXII.
 GEORGIUS GVILIELMUS Kühlewein.
 LIPSIAE,
 PRÆLO RITZSCHIANO.

BIBLIOTHECA
POMICKAYANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

S 13



POTISSIMET SERENTIA
 BEI THOMAS ROMANI
 AB IN TEMERARIO...
 ET MORTEM...
 DIE 21
 IN...
 PR...
 DIE 21
 BERG...
 IN...
 D...
 OT...
 ...
 ...

POTENTISSIMI ET SERENISSIMI
ELECTORIS SAXONIÆ

AB INTERIORI CONSENSU

ET SUPREMI ECCLESIA S-

TICI SENATUS

PRÆSIDI EMINENTISSIMO

PER-ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO

DOMINO

DN. CAROLO LI-

BERO BARONI A FRISEN

IN ROTAVIA ET COTTA, &c.

DOMINO SUO GRATIOSO ET

PATRONO NUNQUAM INTERMO-

RITURA OBSERVANTIA RELI-

GIOSISSIME DEVENERANDO.

PERILLUSTRIS AC GENEROSIS-
SIME BARO,

Nescio quâ tacitâ vi Magnorum virorum virtus, quos DEUS quasi Sospitatores communes ac Servatores misit terris, omnium animis dominetur, ut manum injiciant occasione, quæ se-cunq; offerat, ad declarandam venerationem, ac illis vel innotuisse, non tantum, magnum putent. Nec ad fastigium Tuum, cultus mei humilitatem compono. Jamdudum divina Tua mens, parvitatem meam, in admirationem incomparabilium & communem penè modum transgressarum Virtutum Tuarum convertit, ut ad pedes Tuos provoluta, tum demum votorum suorum victricem sedatam gaudeat, si inter servulos Tuos adnumerare feliciter. Hæc atq; vœ alia reputanti mihi, simul benivolentiam insignem intuenti, quâ literarum studia, eorumq; cultores inusitatò prorsus exemplò complecti, & quovò modo Tibi obsequendi desideria ex affectu potius, quàm ex re æstimare soles: statuit tandem animus hoc quicquid prætextati laboris stapularis est, sub Tuo aspectu Gratiofo ponere, ut Pace Tuâ observantissimè prius exoratâ, publicus testis esset devotionis, quâ Te veneratur

PERILLUSTRIS AC GENERO-
SISIME BARO

Tuus addictissimus
Servulus

Georgius-Guilielmus Kühlewein.



DEO feliciter dirigente!



Eliberanti mihi non ita pridem, & me-
cum in consilium eunti, quamnam materiam in
præsenti pertractandam susciperem, dum summos
in Utroq; Jure honores per Dei gratiam meditor,
& publicum ingenii periculum adhuc faciendum
mihi restat, nescio, quo genio singulari, in campo
commerciorum spatiosissimo præ aliis **JUS STAPULAE** ex Jure
publico nimium quam placuerit, in tantum, ut sederet animus, de
hoc ipso, quantum quidem ingenium se prætextatum penetrare po-
tuerit, hac vice dicere. Non ignoro equidem, solere Juris privati
gratiâ hanc totam rem institui maximè, atque adeò me peccaturum
quodammodo in mores majorum nostrorum, quod citra veniam
hâc in parte liberio rem mihi sumserim licentiam, atque eam in me
devolverim spartam, quæ suo quodam Jure Publicistis debebatur;
Verum enim verò, quando respiciebam simul, jamjam hanc ipsam
curam agitari quodammodo apud nostros, dum de impetrandâ
hujus Stapularis privilegii renovatione Patres patriæ laborant
quam maximè, quod Lipsiæ nostræ jam olim ab Imperiali Maje-
state quam gratiosissimè concessum propter summam Saxonum fi-
dem, atque incomparabilia merita, quibus universam rem Roma-
nam tam belli quam pacis temporibus jam olim mirificè sibi ob-
strinxerunt atque devinxerunt, non præter rem me facturum existi-
mavi, si ad imitationem Arcopagitarum, quibus per legem publi-
cam ne quicquam dicerent, quod ad rem & ad publicum statum
non attineret, injunctum erat, ipse in præsens inservirem tempori,
& ad persolvendum Patronis meis maximis meum officium, quos
pro salute nostrâ totiusque Reip. patriæ fortunis noctes diesque
tanquam in excubiis positos excubare videas, hoc quicquid labo-

A 2

ris

ris Stapularis est, susciperem: Spe certissimâ fretus hujus rei veniam eò faciliorem atqve benigniorem me consecuturum, quod illud fecerim non nisi ex observantiâ & placendi studio. Neque, si rem rectè putare velimus, ita alligati, qui Jurisprudentiæ castris dedere nomina, ad Jus Privatum tantummodò sunt, ut hinc Juris Publici cognitioni vel nullam vel exiguam admodum impendere operam necesse habeat, quin potius utrumq; Jus amicabili, ut ita loquar, copulâ semper ipsis jungendum pro virili est, ne unius vel alterius ignari ad functionem publicani, tanquam asinus ad lyram, prorumpere videantur, quemadmodum eruditè pro more loquitur *Magnif. Dn. Carpz. in præf. tract. de Leg. Reg. Germ.* Res ipsa hortari videbatur, ut recenseremus quodammodo utilitates insignes atqve jucunditates non unas, quas ex utroq; studio non tam sperare quam certò jam promittere nobis haberemus: sed administrabunt hic nostri vicem præter prælaudatum Dn. Autorem ceteri Publicistæ, quibus hâc in parte propter brevitatis studium lampada tradimus, existimantes simul satius esse, in re tam apertissimâ atqve præstantissimâ tacere quam pauca dicere. Ne autem Divinum auxilium hoc in negotio nos destituat, maximè illud ipsum supremum Numen oramus & veneramur supplices, ut conatus hocce bene prosperare, laborantibus nobis ipsum adesse, & ut sufficiamus, commodare opes velit!

CAPUT PRIMUM.

De

Naturâ ipsâ Juris Stapulæ in genere.

I.

JAm primum omnium satis constat, hominem, dum auspiciatus hanc lucem est, maximè civilem quandam societatem appetiisse, atqve adeò quasi à naturâ productum esse animal sociabile. Id sapientissimus Philosophus quodam in loco indicat, quando in natales nostros ac quodammodò in humanitatem ipsam respicit. Quorsum enim, si dicendum quod res est, suppeditâset natura mo-

ra mortalibus instrumenta, quibus quæ nocitura ipsis quæque magis ad rem eorum facerent, quæ iusta, quæ iniqvissima viderentur, significare possunt, cui fini indidisset sermonem, si nempe deficeret alter, cum quo eundem miscerent, siq; ipsos hunc in mundum tanquam in solitudinem productos vellet? nisi fortè singulare hoc naturæ beneficium inter frustraneas ejus operas ad nullum effectum determinatas referendum dicamus, quæ opinio absurditates non unas continet, & totum Philosophorum cœtum vehementissimè offendere videtur. Jam hoc ipsum mutuuum colloqvendi officium, quod respexit per benignissimam sermonis concessionem natura, nihil aliud quàm meram præ se ferre societatis faciem, in aperto est. Quod si itaque hanc societatem civilem penitiùs quodammodo pensitemus, ad quam ita alligati quasi à naturâ ipsâ conspicimur, inqvirentes potissimùm, unde vires suas sumat inter mortales atqve incrementa: certè hæc duo maximè commercium scilicet & imperium in eâ constituendâ atqve perficiendâ principem habere locum, & utranqve facere paginam, de facili reperiemus.

II. Ut de commerciis hac vice non nihil dicamus, cum de altero minor sit dubitatio, negari non potest, eorum magnam esse necessitatem, & tantam, ut solem fermè citiùs è mundo, quàm ipsa è Rebus publ. tolli posse arbitremur. Quemadmodum enim in corpore humano, si membra mutuuum detrectant officium, non nisi tristitia omnia atq; insecuturos morbos acerbissimos augurari licet: similem in modum profectò corpus Civile citra commerciorum usum, quàm pessimè se habere, actum planè de ejus salute, atqve vix ullius felicitatis spem sibi facere posse, dicendum omninò est. Non immorabimur huic rei ulterius, respiciat solummodò qualibet Respubl. in proprium malum, quod innatum planè intra viscera sua gerit, & perpetuum comitem habet quotidie, scilicet in communem illam rerum indigentiam, quâ laborare omnes, quotquot unquam extiterunt, necesse fuit, (posteaquam non omnia unî regioni à Divino Numine comunicata, sed fato quodam singulari, divitiæ terræ in diversas mundi plagas mirum in modum dispersæ

spersæ extiterint) atque simul reputet apud animum probè, quantum detrimenti & molestiarum metuendum ex ipsâ, & certò expectandum habeat: Nemo enim rectius beneficium æstimat, quàm qui fortunam recogitat probè, quâ ante fuit jactatus: cum complectitur animo præteritæ calamitatis imaginem, tum demùm bonâ fatis fide intelligit, quantum illius meritum sit, qui defunctum miseriam benignioribus fatis donavit. Jam verò, ut in rem veniamus, quid aliud sunt commercia, quàm mutux mercium commutationes (sicut Stracha ea inde nomen sortita existimat, *tr. de commerc. §. 1. quest. 1. n. 5.*) quid aliud quàm ejusmodi media, quibus illa, quorum inopiam sentimus, consequi, & quibus abundamus, permutare cum aliis possumus. Ruysschild. *de Civit. Imper. lib. 5. c. 22. n. 2.* adeò, ut, quàm necessarium in Republ. est, omnes ejusmodi defectus suppleri, & cujusvis generis indigentia subveniri, ad perfectissimum statum obtinendum tam maxima momenta sita esse penes commercia, colligi exinde de facili possit.

III. Ut rem altiùs repetamus ab origine, quid, inquam, causæ extitit, quòd primùm omnium de hisce commerciis cogitare gentes antiquissimæ necesse habuerint? Certè nulla alia allegari potest, quàm illa ipsa de quâ modò diximus, Indigentia Universalis & extrema necessitas, quæ primævas gentes (a motis demùm diluvii a quis exortas post factam regnorum atque regionum distinctionem, quæ insecuta divinitùs præmissam lingvarum confusionem erat) nimium quàm tum temporis premere atque fermè opprimere cœperat: Posteaquam enim nimia multitudo hominum, quæ per Noachi felicem progeniem post diluvium contigit, ansam præbuerat occupationi cæterorum terræ locorum, quos vacuos ac incultos quàm plurimos reliquerant antediluviani, atque hinc præscarum familiarum facies planè conversa, ac illæ ipsæ in amplissima regna immutatae fuerant, ex quibus maxima gentium diversitas deinceps prodiit; non poterat non fenestra quasi aperiiri ad indigentiam mutuam undiqvaque irrumpendam, dum scilicet ita missi novi coloni in peregrina loca desiderarent bona pristina, & potiti quàmvis aliarum rerum abundantiam, ponebantur ta-

men

men quasi extra usum quodammodo necessariorum illorum, quorum copiam antiquiores sedes dederant.

IV. At, inqvies, annon etiam ante tempora Noachi conquestum de illâ ipsâ indigentia est? Et largior quidem respectu terrarum unum atque alterum rerum defectum observari potuisse, maximè quod terra una eademque perpetuò existat, ea diversitate opum producta ac distincta, ut pars altera alteri auxiliatricem præbere manum necesse habeat; an verò tum carentia aliqua deprehendi atque nominari respectu mortalium potuerit, valde dubito, partim propter paucitatem hominum ante diluvium existentem, qui non nisi certis familiis constabant, quibus terræ illæ, quas tum incolebant, optimè sufficere poterant, partim propter eorundem simplicitatē, in quâ constituti, paucis iisque præsentibus assignatæ terræ fructibus acquiescere malebant, quàm de felicitate reliquorū locorū vel saltim degustandâ esse sollicitos. Indigentia siquidem humana incidit in tempora ad aucti atque divisi generis humani, quod exponere pluribus possemus, nisi aliud instituti ratio jamjam postulare sibi videretur.

V. Huic itaque extremæ eiqve communissimæ indigentiae ut iretur obviam, & ut ejus periculosissima semina, quæ sparsa propemodum in universum mundum erant, in tempore & primâ veluti herbâ suffocarentur, de quibus infelicissimi status sine dubio fuissent enati, excogitarunt atque introduxerunt gentes jam in varias terræ oras dissipatæ, hæc perquam utilisima commercia, quibus maria atque terras peragraræ solebant, varia negotiationum genera exercere, ac ita propriam inopiam ex aliorum abundantia quàm felicissimè sublevare invicem poterant. Quò respexit noster Imperator in *l. ex hoc jure. ff. de J. & J.* quando commerciorum natales ad Jus Gentium referre nullus dubitavit. Quænam gentium primæ hujus inventi gloriam sibi asserere habeant, altum inter eruditos est silentium; sufficiat nobis nosse, quòd origo hæc neque ex Jure naturali neque à temporibus antediluvianis sit petenda, sed ea sola constitutis gentibus earumque Juribus, quæ hinc inde quasi sponte suâ consequi videbantur, meritò debeatur. Nullum autem

sem

tem dubium est, quin ex necessitate communi gens altera alterius imitatione vel plures casu quodam fortuito (quæ duo potissimum Jus Gentium constituunt) hunc commerciorum usum in suas Respubl. introduxerit. Eadem enim fata tum temporis sentiebant propagatæ gentes: quid ergo obstat, quò minus de eodem remedio, quò illi morbo communissimo mederentur, cogitare poterint, maximè quod ex eadem ratione naturali, quam unam omnes omninò homines habere in aperto est, remedii illius utilitatem prævidere & ponderare datum ipsis fuerit. Et quid Jura Gentium aliud sunt, si rem rectè putare velimus, quam reperta temporis & usus, quæ admodum ex Chrysofomo loquitur Grotius, quid aliud quam ejusmodi placita, hujus vel illius necessitatis gratiâ, ex unâ eademque ratione naturali, quæ introducendæ rei utilitatem præter oculos omnium jam posuerat, à gentibus vel simul vel diversis temporibus excogitata, adeò, ut postmodum propter mutuas hujusmodi consensiones tacitas in unum negotium, quas ex communi convenientiâ cum ratione naturali factas colligebant, exinde sibi ipsis quasi leges tacitas ponerent, nec ullæ gens contra ejusmodi inventa quicquam facere præsumeret, in honorem maximè rationis naturalis, quam tanquam superiorem suam gentes nimium quam venerabantur, atque in omnibus omninò emergentibus necessitatibus consulebant. Idem judicium de imitatione & approbatione tacitâ ferendum, quam obligare gentes vel ex eo dicimus, quod nunquam facta, nisi prius hoc vel illud repertum, rationi & æquitati naturali, quam convenientissimum visum fuerit. Plura reservabimus hæc de re in aliud tempus, si quod commodius, juvante DEO, sese forte offeret.

VI. Atque hæc quidem commercia, ut tandem redeamus ad rem, cujus gratiâ institutus hic labor est, quem admodum res saluberrima atque inventum singulare sunt, nec sine Deo excogitatum: ita postea temporis, ne tam divinum munus frustra atque inaniter concessum hominibus videretur, id dederunt maximè operam majores nostri, ut illa undiquaque magis magisque excolerentur, quamque perfectissima ex omni parte redderentur. Un-

de &

de & introducta plurima jura alia sunt, quæ commerciorum usum partim promovere, partim frequentiore atque tutiorem reddere, partim eundem conservare & quam florentissimum efficere, ad admirationem usque videas. Quorum omnium nostrum STAPULÆ Jus principem locum maximè obtinet: ad cujus expositionem relictâ prolixitate cæterâ jam festinat animus. Est autem hoc ipsum non unis expositum ambiguitatibus, in tantum, ut circa ejus descriptionem mirum in modum variare eruditos videas: A plurimis confunditur cum jure Emporii & Jure Geranii: nonnullis idem fermè ac Jus Nundinarum est: quorum Jurium tamen quam diversissimas esse naturas apparet ex facili.

VII. Emporia, ubi alii legunt quasi Emtoria, sed malè, cum natales suos Græcis debeant, & ab his demùm in Latium translata existant, dicebantur primitus loca illa urbium ad mare sitarum, in quæ tanquam in fora merces exterarum gentium advehantur, & quasi per mare trajiciebantur: quod plerumque in portu sinûs fieri assolebat: scilicet ab ἐμπορεύειν à trajiciendo *Martin. in Lexico in explicat. hujus vocis.* non secus atque forum à ferendo nomen sortitum credimus, quod ibi afferantur & apponentur cujusvis generis merces: Hinc vector, qui alienis ita per mare advehendis erat addictus, appellabatur ἐμποροϛ: Et deinceps ipsæ urbes, in quibus negotiationes illæ maritimæ exercebantur, dictæ Emporia, quales conspiciuntur hodie Lubeca, Hamburgum, Londinum Angliæ, Riga Livoniæ, & plures aliæ: in quarum differentiam, cæteras civitates cum nundinis suis nominare oppida consueverant: *Leuber: in disquis. plan. Stapul. Saxon. num. 495.* quanquam oppidorum atque urbium longè alia diversitas in jure nostro reperiatur. *l. 239. §. 6 ff. de V. S.* Inde Jus illa maritima commercia cum peregrinis & longè distitis gentibus, puta Svecis, Danis & aliis exercendi, adpellatum Jus Emporii. Quod negotiationis atque navigationis genus erat & antiquissimum & maximè necessarium, in tantum ut ipsam Civitatum animam, & humidum radicale, illud appellare nulli dubitemus, atque adeò in condenda urbe præter fertilitatem loci nihil quicquam advertendum arbitremur

8
 tremur, quàm ut ad mare vel flumen perenne collocetur, quò & ad
 eam & ex portibus ipsius navigatio possit institui, scilicet propter
 insignem mercium exterarum præstantiam, propter faciliorem &
 uberiorem rerum importationem: propter minores sumtus ac
 exiguos labores, quæ omnia facilis navigii cursus suppeditare vi-
 detur. Quamquam reperiantur in contrarium alii, qui hunc in
 urbibus situm ad mare prorsus condemnandum censent, quod in-
 de peregrinorum coacervetur frequentia, quàm pestem Reipubl.
 antumant falsissimè, quodque per falsedinem maris ad omnis ge-
 neris morbos irrumpendos fenestra quasi aperiatur, & quæ sunt a-
 lia: quos tamen nimium quàm eruditè refutavit *Dn. Stypmann.*
tract. de Jur. marit. part. 1. c. 1. n. 13. & seq.

VIII. Jus Geranii separatum planè à commerciis est, &
 solam vectigalium utilitatem respicit, in quorum favorem maxi-
 mè est introductum, ut omnis generis fraudibus, quas navigantes
 circa ea persolvenda committere possunt, eatur obviam: Et nihil
 aliud est quàm Jus perspiciendi merces, mensuræque solitæ subji-
 ciendi atque numerandi pro ratione institutorum cujusvis loci, ut
 eò justior consequatur inde vectigalium impositio. *Dn. Strauch.*
Disp. d. Imper. mar. c. 7. in fin. Elbert. Leonin. Conf. 7. 8. n. 10. Nomen
 sortitum à rotis illi tractoriis est, quas in vicinia propè flumina at-
 que portus extructas habebant antiqui, quarum ope merces gra-
 ves atque ponderosas ad mensurationem extrahere solebant, ne
 nimium molestentur nautæ: vel, ut ait *Loccenius* ex *Vitruvio*,
 quibus circumactis extollere onera aut sublata deprimere atque
 in terram demittere consueverant. *d. Jur. marit. lib. 1. c. 10. n. 2.*
 Quod rotæ genus appellatum Geranium est, propter axem ipsius,
 quæ rostro gruis visa fuit quàm simillima, in tantum, ut hinc inde
Kranen vulgò dictum fuerit, mutuata scilicet voce à Græcis, qui-
 bus τὸ γιγάνιον gruis rostrum denotat, ut eò compendiosius res ex-
 primi possit pro more Romanorum, qui de brevitatis laude, quæ
 Græcos penè immortales reddidit, parum vel nihil solliciti, quo-
 ties reperire angustiam sermonis non poterant, semper ad Græcos
 confugere necesse habebant. Vi itaque nominis erit Jus Geranii
 facultas merces atque onera per ejusmodi geranium, sive alia in-
 strumens

Instrumenta extrahendi è navibus, & mensurationi exponendi, vel ad suum geranium revocandi.

IX. Jus Nundinarum notum ab se cuilibet ex facili est. Antiquitus feriæ paganorum sive rusticorum, quibus feriabantur quasi à rure colendo, & convolare in urbem solebant, ad coëmenda necessaria atque accipiendas leges, quod nono quoque die id contingeret, dicebantur nundinæ quasi novendinæ. Per totum enim octiduum perpetuò agebant in agris Romani, indefessi rei rusticæ incumbentes (quippe quod veneranda antiquitas agriculturæ studio nimium quàm caperetur, a deò, ut viros summos, qui non uni ex villis ad Reip. gubernacula admoti, quàm sapissimè neglectis maximis honoribus ad rustica studia sponte suâ reversos, non semel referant Historiarum memoriæ) sed nonus quilibet dies sacer & solennis erat atque institutus ad conventus, mercatus exercendi gratiâ celebrandos in urbe: cujus indicendi jus primitus penes Senatum Romanum erat, *test. Tholos. Syntag. Jur. lib. 25. c. 3. n. 3.* atque appellatum Jus Nundinarum est, quasi Jus nonum peragendi diem. Postea temporis alii atque alii dies celebrandis ejusmodi mercatibus adjiciebantur, nec in urbe tantum, sed etiam privatorum prædiis celebrari poterant, ita tamen ut à Principe vel Senatu prius impetrari eos maximè omnium necesse esset. *Bodin. de Republ. lib. 1. c. 10. fol. 269.* Quod de Claudio Imperatore testari vides Svetonium *in vitâ ipsius. c. 12.* qui non nisi exorato Consulum consensu instituendarum nundinarum potestatem in prædiis suis sibi attribuere voluit: *Briffon. lib. 2. select. antiquit. c. 15.* Unde factum, ut, quæ anquam res ipsa deinceps fuerit mutata, ad aucto dierum nundinalium numero, multisque privilegiis in favorem illorum concessis, nomen tamen perpetuum manserit, ac quodlibet mercatum genus appellatione nundinarum insignitum fuerit; Ut proinde juxta antiquiora tempora nundinæ describendæ veniant, quod sit conventus hominum certi, mercatus exercendi gratiâ instituti. Nec hîc de nihilo est distinctio illa, quam faciunt Dd. inter nundinas vulgares, minus solennes & solenniores: Priores vocant, quæ singulis septimanis instituuntur inter cives, quas cum dispositioni Juris Gentium penitus sint relictae, atque potius

factum & observantium, quàm Jus contineant. *Matth. Steph. d. Jurisd. lib. 2. part. 1. c. 1. memb. 2. n. 104.* Domini territoriales, vel quilibet Magistratus cujusvis loci, citra superioris consensum atque licentiam, ad arbitrium, etiam invitis & contradicentibus vicinis Imperii Statibus, celebrare possunt. Quæ rectius dicuntur mercatus hebdomadarii. German. *Wochenmärkte* : non enim tam mercatus quàm annonæ gratiâ usu quodam introductæ hæ nundinæ sunt. *Cassp. Ziegler. in conclus. ad aur. Prax. Calvoli ad S. Civitas. n. 13.* Alteras nuncupant particulares, quæ à certâ civitate aliquâ vel vico propter annonæ copiam vel aliam necessitatem, duabus vel tribus vicibus in anno instituuntur ex indulgentiâ Principis vel etiam vigore meri & mixti imperii. Posteriores definiunt, quòd sint celebriores imperii vel unius Provinciæ conventus, *juxta Cujac. in parat. C. de nund.* quæ certis statutisque temporibus, maximo mercatorum convolantium congressu, unâ aut alterâ vice singulis annis celebrantur. Has solus concedere potest Imperator, nec exerceri citra specialem ipsius concessionem possunt, in tantum, ut planè alligatæ ad tenorem ejusmodi privilegii videantur omnes civitates atque Status Imperii, quibus illæ indultæ, contra quem nullo modo venire vel forte destinatos dies nundinales mutare, deminuere, augere, ipsis licitum est. *Sich. in C. d. nund. n. 1. & Matth. Steph. d. Jurisd. lib. 2. part. 1. c. 1. membr. 2. n. 100.* De hisce ultimis tantum sermo in Jure nostro est, ad has solas spectat beneficium *l. un. C. de nund.* quod solos mercatores durantibus nundinis *Carpz. part. 1. C. 30. def. 24.* & tamdiu illi privilegio non renunciaverint. *Carpz. d. l. Def. 28.* attinet, ne scilicet conveniri possint nisi finita prius nundinæ fuerint. Hæc enim propriissimè nundinarum nomine veniunt, atque proinde etiam ad instar singularis solennitatis per campanæ pulsum, ut de earum initio atque fine fiamus certiores, manifestantur publicè, quemadmodum in nostris nundinis Lipsiensibus observari non ignoramus : cæteræ verò omnes indignæ maximè sunt hæc appellatione, & propriè magis mercatus nuncupandæ. Jus itaque ipsum Nundinarum ex his suâ sponte consequetur, & se definitum dare poterit ex facili, quod scilicet nihil aliud fermè sit, quàm ejusmodi potestas certis anni

tem-

temporibus instituendi atque peragendi conventus universales & mercatus publicos, multis immunitatibus donatos, quò eò magis invitentur exteri ad ineunda commercia.

X. Et tantum de hisce Juribus, quæ præmittenda vel maximè duxi, quòd iis cognitis probèque perspectis eò faciliores in arcem ipsam instituti nostri invadere possimus, quando hæc Jura cognatione quâdam sibi invicem quasi devincta videantur. Revertimur jam ad ipsum Jus STAPULÆ, cujus primi natales ante omnia inquirendi veniunt. Vocem STAPULÆ quod concernit, anxii hîc Eruditi sunt, ad quam gentem referant, & cujus conterraneam, ut ita loquar, eam faciant. Alii illam apud Gallos auspiciatam quasi hanc lucem existimant, & translata ad nostros, STAPULAM dicunt AB ESTABLE, quod explicant per forum aliquod, Principis autoritate ad convehendas eò merces destinatum; *Gvicciard. in descript. Belgii, fol. 216. & 217. Limnaus de Jure Publ. lib. 2. c. 9. th. 6. n. 130.* Quæ tamen sententia paucissimis ad palatum est, cum Estable Gallis ipsis propriè denotet Stabulum, atque proinde quàm diversissima Stabulum & Stapula conspiciantur: quin potius meliorem quodammodo suæ opinioni invenissent colorem hi Gallicæ lingvæ Patroni, si potius ab estappe, quod Gallis idem est ac nobis Stapula, eam derivatam dixissent. Eiusdem fermè erroris incusandus Petrus Bertius est, *in descript. Holland. Austr. fol. 213.* qui STAPULAM à STABULANDO denominatam arbitratur, non tam ex rei veritate, quàm ex allusione nominis, quòd scilicet in iis locis, ubi concessæ Stapulæ sunt, quasi merces stabulentur. Nos relictis aliis descendimus in partes illorum, qui Stapulam à voce veteri Gotho-Teutonica *Stapa / Stapel* desumptam statuunt, ejusque originem ad antiquos Saxones referunt, quibus *Stapa* idem dicebatur, quod forum hodie nuncupamus, quemadmodum ita *Stapam* in vetustissimo Lexico Latino-Saxonico expositam olim vidisse apud Marquardum Freherum Heidelbergæ testis est *Salmasius in obs. ad Jus Attic. c. 5.* quem ita citant *Dn. Strauch in dissert. de imper. mar. cap. 7. § 6. & Loccen. de Jur. marit. lib. 3. c. 10. th. 2.* Quid causæ autem fuerit, quòd fora sua antiquiores illi appellitare amaverint *Stapas*; curiosis ingenis

disquirendam relinquo: an Stapel quasi Staffel dictum, quod merces ibi velut in gradus erigi & coacervari solitum, parum hinc sollicitus; ut verum fatear, vix poterit omnium, quæ à majoribus nostris constituta & ad inventa sunt, ratio inveniri, *per l. 20. ff. de legib.* Postquam enim jam olim Romæ irruperant undique barbari, atque Gothi, Vandali & Longobardi, non Gallias modò & Hispanias, sed ipsam Italiam quoque vetustissimum larem Imperii Romani. non tam in prædam ac spolium, quam sedem ac domicilium petierant, ibique condiderant regna: non modò ipsa puritas Romanæ linguæ tum temporis mirum in modum contaminata ac velut polluta est, omnisque propemodum latinitas everfa: sed & infinita verba vocesque planè aliæ & rudiores à novis colonis injectæ in Latinum fuerunt sermonem, ut hodie non possumus non plurimarum originem & denominationis rationem ignorare. Quomodo autem hæc antiquissima vox nostra demum facta fuerit, non est, cur multis hinc investigemus; certissimum est, primùm omnium eam mutuatos inde Germanos Hanseaticos esse, atque fora suorum Emporiorum, quæ maximi semper æstimabant, ut speciali aliquo nomine ac nationis suæ proprio vocabulo insignirent, appellasse Stapulas. *Caspar. Klock. de Contribut. c. 1. n. 272.* ad æmulationem forte Romanorum, qui, licet plurima diversi generis fora ad alios atque alios usus constituta haberent, de quibus Rosinus *in antiq. Rom. lib. 9. c. 7.* præ reliquis tamen fori mercatorii conservationem nunquam cessante curam agitârunt secum perpetuò. Ubi non prætereundum illud est, quod fora urbium Hanseaticarum, præterquam quod nimium quam privilegiata divinisque muneribus undique exornata extiterunt, maxime omnium perpetuò floruerint potestate atque jure cogendi præternavigantes ad devehendas & exonerandas merces. Quod observandum omninò est, quoties judicium de Jure Stapulæ nobis ferendum: cum hoc ex Emporiis Hanseaticis & foris eorum celeberrimis in nostras Respubl. introductum, atque ad eam tanquam ad fontes meritò recurrendum sit.

XI. Perlustrato nomine, satisfacere jam ipsi rei possumus ex facili: scilicet dicta Stapula primitus forum simpliciter est, quem-

quemadmodum testatur præcedentia, postea translata in Emporia Hanseatica, fori ejusmodi significare cœpit formam, in quod exonerari merces transeuntium necesse erat: notum enim est, hoc ipsum absolvisse principalissimam partem fori Hanseatici. Hinc respectu habito ad illas Respubl. Hanseaticas, ad quarum instituta, commercia nostra composita maximè sunt, non possumus non hodie Stapulam interpretari appulsam aliquam atque exonerationem mercium, quæ olim in illis Stapis atque foris Hanseaticis necessariò fieri solebat: per Metonymiam scilicet adjuncti pro subjecto: accepto nempe appulsu pro ipso loco, in quem dirigebatur. Ex quibus similiter tota natura hujus inde provenientis juris sese ipsam quasi præter omnium oculos ponere videtur: in quâ per vestigandâ aliàs plurimum laborârunt Dd. inque diversissimas abierunt sententias; at quæ omnes partim latiore nimis, partim minus convenientem nostris temporibus, partim angustiore, vel eam certè, quæ Jurigeranii rectius competeret, eandem exhibent: Nempe nos non ita incommodè Jus Stapulæ definitum dari posse, arbitramur, quod sit Jus merces præterentium, quæ aliòquin in mercandi causa ad alia loca de vectis fuissent, revocandi in suum forum, iisque quasi manuum injiciendi, vi supremæ potestatis vel ex concessione speciali, aut singulari Emporii & Civitatis beneficio competens. Per Jus intelligimus non nisi potestatem liberam, vel facultatem plenam rei pro arbitrio gerendæ, quæ nullis aliunde impedimentis interurbari potest. Subscribit hîc nobis *Dn. Schütz. in prælect. Jur. Publ. lib. 2. tract. 2. post. 16.* quando Stapulam esse nihil aliud existimat quàm Jus sistendi in suo foro restringendi quæ merces: quem secutus quoque Stamlerus est *de Reserv. Imp. §. 61. num. 3.* Vel etiam brevitatis amantissimo propriè erit Jus revocandi merces ab instituto cursu in suam Stapulam.

XII. Hoc Jus cum non unum idemque existat apud omnes, sed diversis hodie ad auctum effectibus conspiciatur, quibus olim planè destitutum erat, cum nullum aliud vinculum mercibus tum injiceret, quàm solum appulsam atque exonerationem. *Elbert. Leonin. cons. 67. n. 2. & Klock. de Contribut. cap. 3. n. 87.* non præter

ter rem facturi videbimur, si ad exemplum Dn. Strauchii *de imperia mar. c. 8. l. 6.* & Stamleri *de Reserv. Imp. § 61. n. 3.* ejus duplicem constitueremus speciem, aliud plenum nuncupantes, aliud minus plenum. Illud intelligimus, quod habet conjunctam vendendi necessitatem, ita, ut nullas merces prætervehendi sit cuiquam copia, citra præmissam ad certum tempus venalem earum expositionem, in locis istis, quibus competit. Minus plenum dicimus, quod solâ quidem mercium exoneratione est contentum, sed eâ utitur ad exigendam earundem mensurationem atque consecranda inde vectigalia; quò ipso Germani Juris naturam induere illud dicendum verius est, ita tamen ut respectu appulsus atque præcedentis necessariæ exonerationis naturam stapularem retinere, negari non possit. Illi enim vendendi atque mensurandi tituli, non secus atque cætera accessoria naturam principalis invertere nequeunt, atque ad instar graduum certorum se habent, qui nullam variare rem posse creduntur vulgò. Quod verissimè, non minus atque eruditè expressisse videtur Dn. Klock. *de contribut. c. 1. n. 272. in fin.* quando inquit: licet hæc Privilegia Stapularia hodie multum inter se discrepent, idque pro mercium juxtâ & urbium, quibus concessa sunt, ratione, omnia tamen à primâ sui origine vetus Stapulæ nomen conservant. Certissimum enim est, longè aliam jurium Stapularium apud nostros existere faciem, quàm quæ priscis temporibus fuit, in tantum, ut usum atque exercitium eorum iis Juribus hodie adnumerandum censeat Leoninus, quia bannalia vocant Interpretes, quorum vis ex observatione pendet: *Conf. 67. n. 2.*

XIII. Cæterum quemadmodum ipsa commercia conspiciuntur duplicis generis in universum, alia quæ mari, alia quæ terrâ confici atque exerceri solent, quorum illa antiquiora sunt, & quasi primogenituræ quoddam Jus sibi vendicant: similem in modum profectò & duplex Stapulæ Jus hinc insecutum est, alterum quod ad maritimam, alterum quod ad terrestrem negotiationem promovendam plurimum conferat operæ: quancquam hic itidem ad exemplum prioris, terrestris, ut ita loquar, Stapulæ Jus demùm sit introductum. Certissimum enim est, primùm omnium stapularia Jura floruisse in urbibus ad mare sitis, quorum vigore illæ
ipsæ

ipsæ navigantibus per mare negotiatoribus adpellendi necessitatem imponere, atque ita liberrimum navigationis usum quodammodo restringere potuerunt.

XIV. Neque hæc sola advehendarum mercium necessitas, ex quâ constare nostrum Stapulæ Jus diximus, planè extra omnem utilitatem in Republ. posita videtur, utpote per quam jam olim maximè increverunt commercia, & variis indigentiarum generibus non semel consultum fuit, atque non exigua opum copia comparata in civitatibus extitit. Id quod ad oculum quasi demonstrare possemus de facili, ut vix pagina atque tempus sufficeret, si paululum huic rei immorari & intueri in alias atque alias orbis terrarum Respublicas quodammodo liceret. Luculentum hujus rei documentum dare potest Urbs patria, nostra Lipsia, quæ profectò ex parvis adeoque minutissimis principiis tandem per Stapulam suam (cujus expositionem reservabimus ad sequentia capita) quâ commerciis ejus animam quasi ipsam accessisse dicendum est, ad eam amplitudinem pervenit, ut si hodie pristini statûs faciem adhuc præ se ferret, quâ certè omnium exterarum regionum atque nationum amorem mirificè sibi conciliaverat, vel florentissimis civitatibus de felicitate palmam dubiam reddere posset. Ut res fiat clarior, cum non ignoremus, fore plerosque, qui hujus necessitatis usum circa advehendas merces nullum planè vel certè exiguum in Republ. reperire possunt, dicimus nos primum venerandam antiquitatem per jura Stapulæ, neminè ad venditionem mercium suarum invitum quasi trahere propterea voluisse, quòd sese peccaturam quodammodo in Jus Gentium, & hoc omne propriæ advehentium dispositioni relinquere, convenientius ei existimaret, utpote quo commercia humano generi quàm liberissima communicata erant: hanc autem necessariam mercium advectionem non inanem esse, sed ejus utilitatem tam latè sese diffundere, in Republ. ut partim indigenæ, quibus propter Stapulam advectio illa fieri solet, partim ipsi advehentes, partim reliqui peregrinorum cœtus, insigne commodum non possint non sentire, affirmare nulli dubitamus. Indigenis quantum emolumentum ipsa tantummodò mercium advectio afferat, ab se manifestum est, non modò enim per illam semper habere

videntur, quos in casu necessitatis & existentis annonæ, vel prementis indigentia de communicandis mercibus & de sublevando malo sollicitare liceat: verum etiam Jus quoddam protimiseos in se suosq; hoc modo transferre pro voluntate tamen advehentium, atqve excludere exteros possunt à promiscua rerum necessariorum coemtionem, quâ plurimum aliàs indigenarum commerciis incommodari dicit Loccenius *de Jur. marit. lib. 1. c. 10. thes. 4.* Ne quicquam dicam de exterorum atqve vicinorum confluxu, quem certissimè expectandum hinc inde habent, quoties notitia hujus rei ad eos pervenerit. Prætereuntibus hanc ipsam advectionem mercium expedire, vel ex eo patet, quòd eundem ibi quæstum si non minoribus, certè iisdem sumptibus facere, ac precia rerum suarum faciliore labore, pro arbitrio repetere atq; lucella sua certiores sibi quodammodo apud ipsos, ad quorum alligati Stapulas sunt, promittere possint, quæ demùm à remotioribus longè conquirenda habuissent. Neque minor commoditas redundabit ad eos ex ipso securitatis beneficio, quod jura Stapularia concomitari perpetuò videtur, quam Domini territoriales omnibus prætereuntibus atqve advehentibus contra quasvis incursiones atqve prædationes sese præstituros sanctissimè promittunt, cujus intuitu plurima hinc inde à negotiatoribus fieri atqve suscipi, in aperto est. Peregrinos denique quod attinet, præter alia hoc unum his sufficere videtur, quod ita constitutis per Jura Stapularia certis locis, in quos negotiatores devehere merces suas ex injunctâ necessitate soleant, quilibet eò citius earum rerum, quas necesse habet, sibi comparare copiam possit, ad quam pervenire perquam difficile est, si fixæ negotiatorum sedes ignorentur, & data ipsis licentia liberè divagandi cum mercibus existat.

XV. Introductum hoc Jus in nostras Respublicas ex urbibus Hanseaticis est, ut diximus in superioribus, quarum merita in universam rem mercatoriam incomparabilia, quemadmodum jam olim orbi innotuerunt, & penè immortalia facta sunt: ita profectò hujus Stapularis juris nomine omnium maximè illæ ipsæ commendantur: quod per hoc unicè commerciorum suorum felicitatem sibi comparaverint, in tantum, ut à plurimis Rebuspublicis velut in commune exemplum fuerint propositæ, atqve tanquam

quam veræ nutrices & fidelissimæ commerciorum parentes in univ-
 ersum habitæ. Quas appellitemus Urbes Hanseaticas, ne-
 minem, ut opinor, latebit: scilicet illas civitates intelligimus, quæ
 Anno Christiano 1200. paulò ante tempora Friderici II. Impera-
 toris juxta Klock. *de Contrib. c. 14. sect. 3 n. 1.* vel, ut alii volunt, circa
 annum 1270. *Ware. ab Ehbrenberg de fœd. lib. 1. c. 2. n. 44.* (liberum hîc
 cuilibet credendi permittimus arbitrium, cum extra articulos fidei
 versetur) ex singulari studio conservandi maritimi commercii cū
 peregrinis, Norvvegis cum primis, Danis, Svecis, Russis, Anglis,
Dn. Conring de Urb. Germ. tb. 99. sua sponte & autoritate propriâ coi-
 re invicem, arctissimoque societatis vinculo sese copulare cœpe-
 runt, ut in defectu alterius protectionis sibi ipsæ, auxiliatrices præ-
 berent manus, conjunctisque viribus audentiores quodammodo
 & fortiores existerent contra Principum vicinorum injurias & ni-
 mias exactiones, contraque piratarum navigia turbantium, & li-
 bertatem commerciorum undiquaque impredientium savitiem,
 quæ tanta erat tum temporis, ut commercia ipsa ex quibus illæ Ci-
 vitates ita cœeunt, vitam atque spiritum hauserant, ad interitum
 non tam vergere, quam ruere jamjam, atque animam, ut ita lo-
 quar, agere viderentur: *Dn. Rumpfeld. de Civit. Imper. lib. 1. c. 4. n. 3.*
Klock. de Contrib. c. 14. sect. 3. n. 1. & seq. Dn. Conring. de Urb. Germ. tb. 99.
 Nuncupare sese ipsæ, aniarunt specialiter Hanseaticas, respec-
 tu scilicet maris Teutonici, cui major earum pars adjacebat quasi an-
 See-Städte. Cujus denominationis veritas elucescit ex novis-
 simis Imperii Constitutionibus, in quibus non semel See-und an-
 See-Städte dicuntur. *Reinking. de Reg. Sec. lib. 1. Cl. 4. c. 20. n. 54.*
 Alii à fide contractâ nomen Hanseaticarum Civitatum sortitas e-
 as volunt, quam dextrâ dare manu, quæ Germanis Hand dicitur,
 gentibus receptum est, alii à fœdere ipso & concilio, quod prisca
 Germanorum voce Hansam dici ajunt, prolatò in hanc rē ex veteri
 Codice Novi Testamenti loco insigni, ubi pro eò, quod Latine di-
 citur, Consilium fecerunt in eum, Germanicè legitur, fecerunt Han-
 zam; *Dn. Klock cit. loc.* alii tradunt alia, sed quæ singula potissimū
 suo pondere destituuntur: *Steph. de Jurisd. lib. 2. p. 2. c. 3. n. 4. Carpz. in*
tract. de Leg. Reg. cap. 6. sect. 10. n. 4. & seq. Quænam civitates & quot
 in

in corpore illo Hanseatico fuerint; an plures 80. extiterint, secundum Thuanum *lib. 51. Hist. p. 838* an plus minus 83, juxta Matthæum Stephani *de Jurisd. c. 3. n. 6.* an 66 ut vult Dresserus *de Urb. Germ. p. 626* (quem tamen explicant Thuanus *d. l.* & Klock. *de contr. c. 14. sect. 3. n. 2* quod ejectis anno 1418. ex numero earum civitatibus quatuordecim, siue sponte his renunciantibus, juxta Steph. *d. l. n. 10.* demum 66. remansisse putaverit) nostrum jam non facimus; si verum tamen fatendum, optimè omnium arridere nobis videtur sententia Dn. Conringii *d. l. th. 100.* qui existimat, Vandalias civitates prima societatis Hanseaticæ fundamenta jecisse, atque coivisse in initio maritima illa ad Balthen Emporia, Lubecam præprimis: inde plures per Pomeraniam, Prusiam, Livoniam, Frisiam & vicinas regiones accessisse, assumptis in societatem multis etiam mediterranea colentibus, ut numerus ultra octoginta aliquando excreverit. Plura hic monere possemus de Societate hac Anseaticâ longè celeberrimâ, cujus sanè similem orbis terrarum nunquam vidit, atque exponere partim ejusdem incrementa, quibus penè formidabilis tandem magnis Principibus facta est Knipschild *cit. loc. n. 8.* & Klock. *eod. n. 1.* partim autoritatem, quâ apud Imperatores Romanos perpetuò floruit, propter tranquillitatem publicam & libertatem popularem, quam cum Dn. Conring. *dict. loc. th. 104.* ipsi aliquot per secula debemus, partim immunitates non unas, quas præclarissimas nata à vicinis Dynastis est, & quæ sunt alia: sed memores promissæ brevitatis, iis hac vice supersedemus. A quibus autem hoc Stapulare Jus vicissim mutuaverint Germani Hanseatici, in eò inquirendo non est cur nunc ponamus operam, id tantum monemus, ab antiquissimis seculis usque usos hoc jure esse, quorum Respubl. mercaturæ nomine celebres potissimum extiterent, atque nulli alii rei magis dedisse operam, quam ut transeuntes invitare ad se, eorumque merces in sua trahere fora possent. Græcis præprimis hoc in more positum fuisse, testis est lex illa Atheniensium, cujus meminit Demosthenes in Orat. contra Phormionem, quæ extremum illi supplicium minitabatur, qui Athenis habitans, aliò quopiam frumentum vexerit, quam in Atticum mercatum: *Loccen. de Jur. marit. th. 9. lic. 1. c. 10.* Vidimus hæcenus, ut
opi-

Opinor, satis, ipsum Stapulæ Jus quoad Essentiam, originem atque formam, reliquum esset, ut contemplaremur simul, quid diversitatis inter hoc & cætera jura, quæ affinitatem quandam cum ipso habere diximus, intercedat; verum cum hæc rectius ultimo loco pertractanda sint, de iis sub finem dissertationis nostræ monituri quoad primum caput hîc abrumpimus.

CAPUT SECUNDUM.

Quibus modis adquiratur Jus Stapulæ?

I.

Cogitandum nunc de modis est, quibus hoc Jus nostrum Stapulæ introducere in Rempubl. legitimè possumus: quos non abs re ternario includimus numero, scilicet summi Principis in Republ. sive Imperatoris concessionem, immemoriam præscriptionem, atque absolutam cujusvis civitatis libertatem: omnium maximè requirentes: *David Mevius ad Jus Lubec. part. 3. lib. 3. art. 7. num. 9. Loccen. de Jure marit. lib. 1. c. 10. thes. 6. Basil. Diss. Vol. 3. Diss. 3. de Jur. veltig. tb. 56. Knipschild de Civit. Imper. lib. 5. c. 22. n. 38. Besold. in Thes. Pract. lib. 5. num. 103. fol. 866.* Principem locum obtinet Concessio Superioris, penes quam ad consequendum Juris Stapularis Privilegium, momenta maxima sita sunt. Quemadmodum enim tota commerciorum cura in supremæ Majestatis humeros quasi devoluta in Republ. existit, adeo ut citra ejus consensum atque voluntatem nemo subditorum sibi eorum exercendorum Jus rectè tribuere possit: similem in modum profectò & ipsum Stapulæ Jus unà cum cæteris Juribus omnibus, quotquot ad commerciorum usum sive promovendum sive conservandum facere videntur, ad eandem Majestatem civilem referri oportere, ejusque dispositioni soli relictum esse, dicendum omninò est. Commendata autem commercia Principis fidei propterea sunt, quod ex iis summa Reipubl. salus certissimè expectanda veniat. *l. utilitatem. 1. §. licet a. 2. ff. de exerc. act. cujus velut ubera dicuntur, ex quibus publicæ*

privatæque res aluntur, foventur atque ornantur, in tantum, ut summæ prudentiæ & auctoritatis apud Græcos Plato publicè respondere nullus dubitaverit, non nisi per commercia civitatem bene beatèque sese habituram, sicut dicitur in *l. 2. ff. de mund. ubi Platonis locus ipse adducitur. Vid. Stracha de mercat. §. 1. qv. 1. n. 68. qui elegantissimè commerciorum necessitatem exposuit.* Jam notum cuilibet est, omnia ea, quæ ita se habent, ut iis totius Reip. felicitas atque Status perfectissimus inniti videatur, ad solum Principem spectare ab eoque dependere unicè, qui hujus rei gratiâ constitutus maximè atque clavum tenet Reipubl. ut solus pro populo salutem publicam velut legem supremam aliquam in omnibus respicere atque pro eâ conservandâ dies noctesque tanquam in excubiis positus, excubare debeat.

II. In nostro Romano Imperio, quod Deo feliciter dirigente à Carolo M. partim jure belli, partim Senatûs populi que Romani electione & suffragio acquisitum, atque tandem ad Germanos translatum, contra Pontificios dicimus, Stapulæ Jus penes solum Imperatorem residere, ex absolutâ ipsius potestate, quâ neminem recognoscit superiorem, adeò ut pene totius mundi dominus & arbiter appellatus jam olim fuerit. *l. de precatio ff. ad L. Rhod. de jactu.* colligi potest de facili: *Dn. Limn. de Jur. Publ. lib 2. c. 9. n. 129. Rumel. ad Aur. Bull. Part. 3. Diff. 3. tb. 18 in fin.* Neque ita penes ipsum residet, quemadmodum cætera jura Majestatica inferiora, sed quodammodò in gradu excellentiori, ut reservatum summum conspicitur, quo simul cum aliis plurimis maximam eminentiam ostendere & supremi tatem suam, ut ita loquar, contra superioritates territoriales integram atque illibatâ servare solet. Quo de negotio nonnulla exponere haut pigendæ res operæ videtur.

III. Scilicet Romana Respubl. quæ ex parvis adeoque minutissimis principiis per stirpem duarum rerum, armorum atque legum, ex quâ summa Reipubl. tuitio consequitur, *l. 1. pr. C. de Just. Cod. conf.* tandem in immensam excreverat magnitudinem, & caput mundi dederat quàm felicissimè, jam olim præclarissimæ Monarchiæ faciem coepit ostendere, cum quâ vix ullam totius orbis terrarum Rempubl. paria facere posse credebatur, maximè
tùm,

tum, cum per Legem Regiam in Principem omnis populi potestas esset translata. §. 9. *Inst. de J. N. G. & C. l. 1. §. cum a. C. de vet. jur. enucl.* in tantum, ut quamvis & illo tempore varii Comites, Principes, Marchiones aliique Duces existerent, illis ipsis tamen nihil quicquam Jurisdictionis assignatum fuerit, sed eam destituti penitus ipsi non aliter ac nudi Officarii Jurisdictionis, nomine Imperatoris eam exercentes apparuerint. *arg. §. 1. Et quia videmus. de his, qui feud. dar. poss: Matth. Steph. de Jurisd. lib. 2. Part. 1. c. 4. n. 80. Tob. Paurm. de Jurisd. Imp. lib. 1. c. 26. n. 12.* Postea verò temporis electis & in consortium curarum ac sollicitudinis (non in plenitudinem potestatis) receptis certis Statibus, qui ascripti in Imperii matriculam, Imperatori in Comitibus de utilitate Reip. meditati adessent à consiliis, atque emergentis necessitatis casu, certos census & subsidia militaria tribuerent. *Reink. de Regim. Sec. lib. 1. cl. 4. c. 1. n. 2. & 3.* pristina illa Imperii facies longè alia apparuit atque simplicissima Respubl. deinceps in mixtam immutata est, facta scilicet Monarchico-Aristocratica, salvâ tamen semper Mõarchiæ prærogativâ. Cum enim illi noviter assumpti Status simul necesse haberent aliquam præ cæteris eminentiam, quâ Proceres Imperii conspicerentur, hanc autem, nisi concessâ Majestaticâ quâdam potestate, vix sibi tribuere poterant, factum postmodum est, ut quædam Jura Majestatis illis fuerint communicata, quædam verò ne sibi eos pares, ne Collegas, (ut Bodinus falso loquitur) Imperator faceret, quos manere Vasallos voluit, augustissimo Imperii splendori specialiter reservata; quo ipso non potuit non Romani Status mixtura necessariò insequi. Communicata Jura Majestatis, Statibus Imperii plerumq; sunt per Jurisdictionis territorialis concessionem, cui inesse existimantur essentialiter, adeò, ut positâ eâ, Regalia ipsa poni necesse sit, *Reink. de Reg. Secul. lib. 1. Cl. 5. cap. 3. n. 17.* quæ ipsis nihil aliud tribuebat quàm plenum Jus summi Imperii in omnes territorio singulorum subjectos, quo tantam potestatem pro frequentissimâ & parietariâ illâ formulâ in territoris suis nanciscebantur, quantum ipse Imperator habet in imperio. Jurisdictio autem hæc territorialis in omnes translata est, eo ipso quo aliquis in Statum Imperii receptus, & Jus Sessuræ in Comitibus sortitus fuit præ-

præsupponimus scil. bona aliqua, quæ quilibet in statum Imperii recipiendus, vel sub Imperio, vel in imperio, vel ab imperio ad territorium, sive locum jurisdictione armatum, inde efficiendum necesse habet. Et quidem concedebatur illa jurisdictione territorialis aliis simpliciter, sub nomine saltem Statûs Imperii, ne inanis appellatio videretur, qualis Civitatibus Imperialibus contigit. *Reink. de Reg. Sec. lib. 1. cl. 5. cap. 5. Rumel. ad Aur. Bull. Diff. 1. th. 11. Steph. de Jurisd. lib. 2. p. 1. cap. 4. n. 36.* Aliis cum dignitate atque feudo regali: quod iis factum, qui vel de Ducatibus h. e. regionibus, quæ Ducatûs nomine veniunt, ut explicat *Dn. Reinking. de Reg. Sec. lib. 1. cl. 4. c. 12. n. 4.* vel de Landgraviatibus, vel de Marchionatibus, vel aliis conditionibus à Cæsare sub cautione fidelitatis perpetuæ sunt investiti. Egregiam feudi Regalis descriptionem reperies *apud Paurweist. de Jurisd. lib. 1. cap. 4. n. 7. & seqq.* Neque his Statibus tituli illi Ducum, Comitum, Marchionum, & qui sunt alii, saltim muneris & administrationis, sicut olim, sed tanquam patrimonii nomina assignata hodie sunt, ipsa quæ eorum Jurisdictione non manualis amplius aut revocabilis ad nutum, sed planè patrimonialis vigore investituræ Cæsareæ effecta est *Reink. de Reg. Sec. lib. 1. Cl. 4. c. 16. n. 32.* in tantum, ut seculares Principes aliique Status Imperii Principatus suos cum jure territoriali illis annexo, (exceptâ Electorali dignitate Ecclesiasticâ propter textum in Aureâ Bullâ von der Erbschöffe Secgen. §. Wiewol auch) ad successores suos trāsmittere eosdemque sine Imperatoris consensu rectè dividere inter liberos valeant. *Gail. 2. Obs. 153. n. 2. præprimis Dn. Stamm de servitut. Pers. lib. 3. c. 10. n. 14.* De superioritatis territorialis Juribus & effectibus videatur *Reink. lib. 1. Cl. 5. cap. 4. per tot. & alii Publiciste.* Reservata Imperatoris quod concernit, ea quàm plurima sunt, & præter supremi tatem Imperialem atque altum, ut vocant, dominium quod apud Imperatorem ex concessis juribus territorialibus permansit (nunquam enim tantam dedisse potestatem præsumitur quin majorem retinuerit. *c. dudum. §. nos igitur. de præbend. in 6. Sixtin. de Regal. lib. 1. c. 5. n. 3.*) præter jura clientelaria quæ salva & illibata ipsi servata sunt, & adhuc salva constant, dicuntur omnia illa, quæ Imperator solus ad ostendendam autoritatem maximam pro plenitudine

po-

potestatis exercere in Imperio potest, & ad quæ tanquam sanctum Sanctorum, nulli Statuum manus suas extendere liceat. *Stamm, de serv. pers. lib. 3. c. 7. n. 4. Reink de Reg. Sec. lib. 1. cl. 5 cap. 6. n. 18. ubi recensentur aliqua nominatim: Sixtin. de Reg. lib. 1. c. 2. n. 3. Steph de Jurisd. lib. 2. part. 1. cap. 1. memb. 1. n. 1. & seq. Paurmeist. de Jurisd. lib. 1. cap. 4. n. 13. & 14. Præprimis Dn. Stämmler. de Reserv. Imp. § 3. n. 3. & seq.* Quæ Reservatorum nomine veniant specialiter, & quotilla sint, nostrum jam non est inquirere, remittimus curiosa ingenia ad citatos Auctores: nos contenti hâc vice sumus, quod noverimus in dignoscendis reservatis Imperatoriis ab aliis Majestatis Juribus, respiciendum esse ad ipsum eorum exercitium, hoc modo, ut si quævis actum à solâ Imperatoris dispositione dependere videamus, illum citra dubium ad reservata specialissima pertinere, certò nobis persuasum habeamus.

IV. Et hoc ipsum causæ etiam est, ut tandem revertamur ad officium, quod nostrum Jus Stapulæ inter Reservata Imperatoris summa referendum, proximè duximus; scilicet quod ipsum Regale aliquod sit, non opus declaratione est, ne facem luci meridiane afferre videamur: Quòd verò ex ipsissimis Reservatis sit, patet inde, quoniam ejus Exercitium nemini nisi soli Imperatori competit, nullusque omninò Imperii Status sive Princeps, Stapulas propriâ autoritate in suis territoriis erigere potest, in tantum, ut si quis contra fecerit, sibi que hoc Jus sine permissione Imperatoris, arrogaverit, mandata sine clausulâ decernantur, quæ admodum cõtigisse hoc anno 1575. refert Sixtinus *de Reg. lib. 2. cap. 3. n. 40. & 41* quo ejusmodi mandatum contra Electorem Palatinum, Oppenheimii Stapulas erigentem, Civitas Spirensis obtinuit: *Ruyfchild de Civ. Imper. lib. 5. c. 2. n. 22.* Ut taceam participare de naturâ Reservatorum Jus nostrum vel ex eo posse, quòd ex Jure mercatus provenire illud potissimum diximus, de cujus loco inter Reservata minus dubii est *Sixtin. lib. 1. c. 2. n. 37. Bodin. lib. 1. c. 10. de Repub. Gail. 2. obs. 69. n. 24.* atque proinde ejus conditionis atque qualitatis, tanquam accessorium aliquod, censerî necesse sit. Ex quibus sua sponte consequitur simul illud, & omnes penè Stapulas, quæ hinc inde in nostro imperio conspiciuntur, per Imperialem concessio.

cessionem esse erectas, & omnes omninò per eandem necessariò esse erigendas. Communicari autem posse subditis hujus Juris Exercitium, nullum planè dubium est, & ex observantiâ hodie satis comprobatum; nec arbitror libertatem hanc Imperatori quempiam facile denegaturum, nisi eam in se contrahere culpam velit, quâ crimen læsæ Majestatis commisisse creduntur, illi qui regalia planè ab Imperatore transferri in alios non posse, dicere nefariè ausi fuerint. *Sixtin. de Regal. lib. 1. c. 25. n. 2.* Neque enim ejusmodi concessio contraria naturæ Reservatorum Imperatoriorum est, siquidem non ideò hoc nomen inditum ipsis est, quòd velut aliqua res extra commercium posita, nunquam sub acquisitionem cæterorum Imperii Statuum cadere possit, eorumque exercitium in perpetuum penes Imperatorem omninò remanere oporteat; sed idcirco saltim Reservata dicuntur, quòd ea non simul per investituram Cæsaream vel jus territoriale transierint in Status Imperii: & quod Status atque Principes illi ea ipsa in suis territoriis, vigore concessæ Jurisdictionis omnimodæ & superioritatis territorialis sibi attribuere exercenda minimè possint. Inde enim, ait *Pauermeist.* quæ dispositione generali non continentur, excepta atque Reservata ipso jure censentur: *lib. 1. de Jurisd. c. 4. n. 14.* Minimè itaque absurdum est, aliquod Regale appellare Reservatum specialissimum, & tamen illius exercitium simul existere penes subditos Imperii: cum id fiat diversissimo respectu.

V. Impetrari itaque nostrum Jus potest vel ab iis, qui nullum planè recognoscunt superiorem, nisi solum Imperatorem, cujus imperio immediatè subjecti sunt: vel ab iis, qui præter Imperatorem ad Dominorum territorialium potestatem alligati quasi existunt. Priores immediatè à Cæsareâ Majestate gratiosissimam hujus Juris concessionem exorare possunt; Hi demùm intercessionem Dominorum territorialium, necesse simul habent, circa quam de facili sub- & obreptitiæ petitionis suspicioni sese exponere videntur.

VI. Concedi aliàs in genere privilegia à Principibus solent, vel motu proprio, vel ad preces supplicantium, *Enekn. de Privileg. lib. 1. cap. 5. n. 2.* An nostrum Jus Stapulæ ab Imperatore motu proprio

proprio transferri in subditos soleat? de eo non erimus solliciti, quod rarissimas ejusmodi Stapulas reperiamus, & si ex plenitudine potestatis Imperator hoc velit facere, minimè sit dubitandum, maximè si ex tali motu fiat, qualis de jure requiritur, quo nemini sine causâ Jus quæsitum auferat, quiq; comprobatus ab Electoribus existat. Certissimum enim est, nimium quàm tenaces in hoc jure concedendo Principes esse, propter maximas inde provenientes utilitates, adeò ut quoties flumina publica elocare aliis contingat, semper sibi expressè jus ponendæ Stapulæ reservare soleant. *Stypm. de Jur. marit. p. 2. cap. 5. num. 120. p. 303.* Quod ad preces supplicantium subditorum attinet, Exercitium hujus Juris communicari iis posse ab Imperatore, dicendum omninò est; quod tamen inspectâ prius petentium æquitate, quam continere debent preces, repulsam pati nolentes, præmissâ causæ atqve circumstantiarum cognitione, auditis simul super hâc re vicinis, atqve adhibitò totius Electoralis Collegii consensu, intellectum volumus maximè. Dixi adhibito Electorum consensu: scilicet ideò, quia Imperator hodie in novis Stapulis concedendis alligatus ad eundè est: quod factum novissimâ Capitulatione Leopoldi, Augusti, capit. verba *artic. 21. vers. Dieneill sich aber zutrâgt etc.* cui ansam præbuisse frequentissimas Stapularum concessiones, ab anterioribus olim Imperatoribus factas ipsa prædictæ Capitulationis verba indicant, quibus limites ita ponendi erant, ne commerciorum libertati nimium quàm derogaretur, Stapulaqve alia aliam everteret. Quoties enim alteri nova conceduntur Jura Stapularia, toties antiquioribus vicinorum Stapulis plurimum inferri præjudicii, manifestissimum est. Quo ipso tamen Reservatorum natura quam Juri Stapulæ constituimus, quodammodò restricta hodiè conspicitur.

VII. Sed ad rem ne extravagari videamur: Dixi porrò, vicinis auditis concedendas demùm Stapulas esse: scilicet ex intuitu solius æquitatis, propterea quòd inauditis vicinis evenire posset ex facili, ut quæsitorum jurium insignem sine causa patiantur jacturam, atqve hâc ratione ex beneficio maxima fiat injuria, *juxta l. 6. C. unde vi. Elbert. Leon. Cons. 67. n. 3.* Quod Principi prospiciendum omninò est, qui nemini citra justam causam auferre quicquid,

neque beneficia ad aliorum injuriam porrigere potest. *l. 40. ff. de adm. tut. l. 4. C. de emanc. lib. c. 2. X. de relig. dom. c. 2. X. de edific. Eccl.* Novinus equidem posse Imperatorem ex plenitudine potestatis summæ revocare postmodum concessa jura atque irrita reddere penitus, si illatum tertio præjudicium inde viderit: atque ex vel eo supervacaneam vicinorum præsentiam quoddammodo existimari: at verò quantum satius semper credimus, in tempore venire, quam post vulneratam causam remedium quærere, *l. 5. C. in quib. caus. in integr. restit. l. 1. C. quand. lic. unis. sine jud.* tantò consultius simul esse arbitramur, si ante accersitis omnibus, quorum interesse potest, hic processum maximè fuerit: cum sæpissimè ejusmodi Privilegiorum cassationes plurimum molestiarum atque incommodi relinquere soleant. Et quanquam hujus rei gratiâ constitutum nihil reperiamus expressè: tamen quia in nundinis res clarior est, earumque privilegium nisi consultis adjacentibus vicinis Imperatori impertiri minimè licet: *Steph. de Jurisd. lib. 2. part. 1. cap. 1. membr. 2. n. 200. Gail. 2. Obs. 69. n. 24. Mysing. Cent. 4. obs. 41. Rumel. ad Aur. Bull. part. 3. Diss. 3. th. 18. pag. 694.* eadem hic in nostro Jure Stapulæ locum habere propter identitatem rationis statuimus, quæ scilicet in eò consistit, ne Jus tertii lædatur. Sunt enim hæc juris naturalis regulæ: Suum cuique tribuendum, neminem lædendum; quò sicut nullus Princeps in toto mundo, ita neque Imperator usquam invenitur solutus. Consultatur maximè *Dn. Erenk. de Priv. lib. 3. cap. 5.* quoad Principis potestatem, circa mutationem Juris in præjudicium tertii.

XX. Causæ, ex quibus Jus Stapulæ subditis Princeps vel Imperator concedere potest, non unæ sunt: Plerumque tamen vel ex merâ liberalitate Principis & Imperatoris vel ex titulo oneroso quodam, emtionis aut alio; propter certam pecuniæ summam, vel factum aliquod concessionis illi æquivalens; vel denique ex causa meritorum concedi videtur: Quas posteriores concessionem vix dignas Privilegiorum nomine censuerim, quin potius contractuum naturam induere eas, veriùs dixerim, ita ut altera ad instar cujusdam emtionis vel alius contractæ conventionis sese habeat, postrema verò non nisi quædam compensatio servitorum atque meritorum

ritorum appellari mereatur: in quibus notissimum est, Principem jure communi uti & æquè ac privatum, imò arctius obligari per vulgarem Axioma, quod tradit Bachovius *ad Treutler. Vol. 1. Diss. 6. th 17. lit. B.*

IX. Quæris: an in Privilegio Stapulæ semper causæ expressio, propter quam indultum hoc ipsum est, sit necessaria, ita, ut omiffa eâ, alicujus vitii inculari possit? Et affirmandum hoc vix existimarem, quin potiùs in arbitrio Imperatoris vel Principis esse statuo, an velit eam exprimere, an non: imò prudentius quandoque agere Principem dicit Enekel, si planè nullam ejus mentionem faciat, quòd semper præsumatur Princeps privilegia sua ex certâ ratione atque evidenti utilitate dedisse, utpote qui circa universa quæ agit vel suo vel Imperii nomine, contra rationem nihil tentaturus est, *d. Priv. lib. 1. cap. 9. n. 30. & seqq.*

X. An Imperator vel Princeps semel concessum Stapulæ Jus pro arbitrio revocare atque annullare possit, videndum nunc erit? Et negamus hoc simpliciter, quocunque etiam modo concessæ illæ Stapulæ fuerint: primò, propter generalem textum *in l. quod semel. ff. de decr. ab ord. fac.* ubi Princeps concessa subditis Privilegia absque justâ, legitimâ atque gravi causâ revocare atque rescindere expressè prohibetur, quia quod semel placuit amplius displicere non potest. *cap. 21. de R. J. in 6.* Secundò propter rationem firmisimam, quia nempe ex ipsâ concessione Stapularis Privilegii Jus quæsitum jam sortiti sumus: sive enim ea ad instar donationis, ex merâ gratiâ Principis, sive in speciem Contractûs, vel pro exolutâ pecuniâ, vel in solatium meritorum nostrorum ad nos proveniat, statim nos plenos ipsius existere Dominos certissimum est, cum non minus per donationem simplicem, quàm per Emptionem-venditionem, quæ traditionis necessitatem in se continet, *§. alia autem. 2. Inst. de donat. Nov. 162. cap. 1. §. & sancimus.* dominium transferatur: at verò ex proximè dictis constat, Principem jura quæsitâ, & quæ nostra facta sunt, neque privato neque publico nomine sine sufficientissimâ causâ tollere posse. *l. venditor. 13. ff. comm. præd.* neque ejus officio proprium aut conveniens esse, concessa auferre. *Nov. 10. pr.*

quã prædictas supra regulas robur suum obtinere diximus, nihilq; tam contrarium Justitiæ est, quàm alteri detrahere quod suum est, respectu cujus Principem nullam planè mereri præ subditis prærogativam, sed prorsus æqualem esse dicit. *Rumel. ad Aur. Bull. part. 1. Diff. 5. tb. 9.* Ut taceam existimationem atqve fidem Principis, ex ejusmodi iniquissimis Stapularum revocationibus, non exiguã notari labe atqve maculã: Si enim in privatis turpe est donata revocare, datamqve semel fidem fallere. *l. 1. pr. ff. de constit. pec. quorum levitati leges sacratissimas passim occurrisse novim⁹, quantò magis id in publicã personã fœdum existet: utpote in quã nihil clariore lumine refulgere dicitur, quàm recta fides, l. inter. C. de Summ. Trinit. atqve unam linguam unumqve calamum in omnibus habere. Enekn. de Priv. lib. 3. c. 8. n. 2.* Excipimus tamen unicum necessitatis casum, qui sicut pro lege in omnibus rebus est: ita etiam hïc, si quando vergat Stapula concessa in perniciem Reipub. vel bonum publicum impediatur, justissimam ejus cassationem, consilio statuum Imperii licitè permittit *Reink. de Reg. Secul. Cl. 2. lib. 2. cap. 8. n. 31.* ubi exemplum revocationis factæ recenset.

XI. Quæritur ulterius: An Stapulæ concessæ revocari à Successoribus possint? Et itidem hoc affirmari non potest; vel inde, quod Stapulæ Jus in modum singularis Privilegii concedi videatur à Principe sive Imperatore Imperium repræsentante, atqve sic non tam à Principe quàm ab Imperio per Principem sive Imperatorem: Privilegia enim nihil aliud sunt, quàm Jura atqve leges, licet privata & speciales publico tamen nomine data, quæ semper quocunqve titulo collata, ratione Imperii atqve Jurisdictionis conferri dicuntur. *l. fin. ibi, jure igitur perpetuo publici. C. de locat. præd. civ. lib. 11* Jam novimus, fidei publicæ obligatos maximè successores esse, quàm omnes indistinctè præstare atqve servare tenentur. *l. fin. C. de re judic. l. 60. ff. de judic. l. 1. C. sent. rescind. non poss:* in tantum, ut si quando Princeps bene ordinata per suum Prædecessorem infringat, sibi ipsi injuriam inferri dicatur. *c. si ea. 25. qu. 2. c. justitiæ. 25. qu. 1.* Majestas enim Imperii ubiqve semper eadem manet, licet in diversas transferatur personas, hæc itaqve manente, & illa etiam, quæ ab eâ per Principes pro-

promissa sunt, manere atque præstanda esse in perpetuum, necesse est, *Carpz Tr. de Capit. Cesar. cap. 3. num. 33.* Et quamvis par in parem non habeat Imperium, attamen par paris, id est, antecessoris promissionem præstare cogitur, quia Imperium, cujus intuitu promissio facta est, successor tenet, *Peregr. de Jur. fisc. lib. 1. tit. 1. n. 37.* Ne quicquam dicam de juramento speciali, quo se obstringunt hodie Imperatores, ad confirmationem privilegiorum omnium ab antecessoribus suis indultorum, antequam electione peractâ ad summi Imperii administrationem sese accingant, *Rumel. ad Aur. Bull. Part. 1. Diff. 3. hb. 16. & 17.* Neque præter rem hîc distinctio illa est, quam faciunt Dd. inter Principem Jure hæreditario succedentem, de quo minus dubij hoc est, quia omnia defuncti facta tanquam hæres personam defuncti repræsentans, præstare & servare tenetur: & inter eum, qui lege Regiâ vel per modum electionis aut alio succedit, qui obligari in plura non potest, quam quæ Imperio salutique publicæ profutura videntur *vid. Erenk. de Priv. lib. 3. cap. 2. n. 5. 4. & seq. & Reink. de Reg. Secul. lib. 1. Cl. 3. cap. 10. ubi ex professo pertrahatur, in quantum Successores in Imperio obligentur.*

XII. Concessio autem hæc Imperatoria de exercendo Stapulari jure, inter alia duplicem Effectum habere videtur potissimum, alterum quoad ipsos privilegiatos, alterum quoad prætervehentes. De prioribus notandum est, quod hi quoad Exercitium præcisè ad tenorem Privilegii in omnibus sint adstricti, nec quicquam ab eâ recedere debeant aut possint. Hinc quando controversi solet, ad quas merces extendi Stapulæ concessæ possint: responsio eadem danda venit, scilicet hoc omne simpliciter pendendum ex ipsis Privilegii verbis esse, ultra quæ extendenda Stapula minimè est: adeò ut illæ merces obligatæ existant quæ nominatim ibi comprehensæ sunt. *Rnipschild lib. 5. cap. 22. n. 43. Loëcen. de Jur. marit. lib. 1. c. 10. hb. 10.* Positi enim plurimis in Imperio Stapulis sui limites sunt, & certæ tantummodò prætervehentium merces constitutæ, quas cuique revocare vel ad nudam advectionem, vel etiam ad venditionem ipsam liceat. Ita Hamburgenses & Dordrechtenses memorantur vulgò diversis quidem Stapulis gloriari, sed alligatis aliis saltim ad pannos ex Angliâ deventos,

ctos, aliis ad vina Rhenensia, aliis ad alia. *Ruyschild. d. l. n. 45.* Ita Spirenses suo Stapulari Jure non nisi speciales quasdam merces compellere possunt. Ita Dantiscum per Stapulam suam Polonorum prætervehentium frumenta ad se trahere referunt, neque committere, ut quicquam in ejus præjudicium de istis in Belgicas terras devehatur, quin cogere insimul posse ipsos Hollandos, ut frumenta Polonica à Dantiscanis emere oporteat.

XIII. Merces hæc indistinctè atque generaliter intelligimus eas omnes, quæ sive manu atque operâ cujusvis civitatis elaboratæ, sive ex ipsâ terrâ productæ, ita se habent, ut cum istis possit hinc inde negotiatio vel commercium institui: Hinc frumenta, vina & alia esculenta, quanquam minus propriè mercium nomine veniant, quia tamen plerasque conspicimus apud externos, Civitates ex ejusmodi rebus maximè commercia sua instituisse, atque per earum coëmitionem, & transvectionem ad remotiora loca, quæstum facere solitas, non est, quòd eas hæc appellatione indignas facere, atque prohibere velimus, quòd minus etiam de iis Stapula erigi possint.

XIV. Atque verò, quid si nullum planè mercium certum genus in privilegio Stapulari reperiatur, & sola mercium generalis appellatio facta, quid tunc juris? Et verius puto, quia explicatio legum atque Privilegiorum soli Principi sive Imperatori competit, qui optimus verborum interpres, neque ulla hæc cuiquam licita restrictio sive limitatio est, hujusmodi generalissimæ concessionis præcisè satisfaciendum esse, atque beneficium Imperatoris à Divinâ Indulgentiâ Cæsareâ profectum eò in casu quàm plenissimè secundum claram literam interpretandum, adeò ut liberum Privilegiati arbitrio relictum, & jus quasi datum de omnibus cujusvis generis mercibus sine discrimine revocandis, merito censeatur. Privilegia enim eam interpretationem admittunt, quæ ipsis verbis conveniens est, si restricta ad certas merces, etiam intra limites illos continere ea necesse est, si generalitate quâdam sermonis concepta, à nemine coarctanda veniunt. Accedit, quòd inde nullum inferatur præjudicium tertio, cui in casu necessitatis advehendarum mercium unum idemque videtur, sive

five ad certas saltim merces, five ad omnes exonerandas teneatur
 XV. Quid autem dicendum de mercibus, quas Germanorum vulgus manufacturen barbarè appellat, quæ scilicet propter earum elaborationem cujusvis civitatis propriæ & assignatæ quasi in specie sunt, quales Anglis pannus dicitur, apud nos in locis vicinioribus quibusdam ferrum est, & id genus alia, an etiam earum advehendarum necessitas, si intra districtum Stapularem continentur, per generalem Stapulam imponi possit? Et affirmare hoc nulli dubitamus, maximè propter identitatem rationis, quæ idem jus subinde secum circumferre videtur, quæ scilicet tantummodò consistit in nomine mercium generali: adeò, ut positis mercibus Stapulam ipsam poni, & vires suas exerere posse, dicendum omninò sit. Privilegio enim non distingvente, & nihil quicquam excipiente, nec nostrum est distinguere, aut pro lubitu exceptiones novas addere. Jam non minus has ipsas mercium speciem præ se ferre, quàm supra istas exterorum merces, demonstratum proximè est. Eademque potestas circa eas disponendi atque statuendi Imperatori competit. Quare ergo invidere velimus earum commodum ipsis conterraneis Stapulasque exercentibus, magisque eas ad remotiores transferre.

XVI. Alter Effectus Concessionis Imperatoriæ quoad advehentes hic est, quòd ingressis semel districtum Stapularem, integrum amplius non sit reverti, aut ad evitandam mercium expositionem novas vias quærere, quibus effugere possint illam necessitatem. *Locten. de Jur. marit. lib. 1. c. 10. n. 13.* Causa illud est, quod non debeat per indirectum licere, quod directò prohibitum est, & si quid reperiatur prohibitum, ex aliquâ ratione, simul censeantur etiam prohibita omnia illa, per quæ potest sequi Effectus illorum prohibitorum. *Besold. Thes. Pract. lit. S. n. 103 pag. 866.* Hujus gratiâ optimo sanè consilio Lipsienses jam olim certum custodum publicorum numerum eligere consueverunt, qui in finibus viarum publicarum circumspicerent, ne districtus Lipsiensis Stapulæ hinc inde à transeuntibus negotiatoribus evitaretur.

XVII. Quæstionis adhuc illud est, an Jus Stapulæ contra Jus Gentium introductum censeatur? Et puto rem totam expediri posse tribus verbis, ut ita loquar, si saltim distinguamus. probè inter-

E

mu-

mutationem Juris Gentium totalem, & ejusdem restrictionem. Scilicet non mutatum per ejusmodi necessitatem advehendi jus Gentium est, sed saltem libertas, quam commerciis dederat, restricta quodammodo ad utilitatem Reipublicæ est: ita ut eadem libertate non amplius gaudeant, quæ nativa ipsis extitit. Illud prohibitum propter rationem naturalem, cui tanquam fundamento superstructa quasi conspiciuntur Jura Gentium; Hoc permissum Principi quodammodo, quod, additis conditisque jam olim aliis aliisque civitatibus, longè alia Rerumpubl. facies apparuerit, quibus non expediebat liberrimam frui potestate prætereuntes negotiatores, propter molestias & inopiarum genera non una, quæ inde non poterant non ad eas redundare. Respublicæ enim hodiernæ habito respectu ad statum gentium antiquissimum non secus ac privatæ quædam societates æstimandæ veniunt: Jam quemadmodum novimus publicè utilia non semper ad privatorum quorumvis utilitatem facere. Similem in modum hinc judicium ferendum de Jure Gentium est; ad aucto quippe civitatum numero, difficile erat applicare & accommodare illa Jura singulis eodem modo, quo universam gentium societatem potissimum concernebant: adeo, ut necessitas quasi imponeretur cogitandi de alio jure, quò civitates singulas juxta instituta gentium administrarent, quod appellatum Jus Civile deinceps est.

XVIII. Insequitur alter acquirendæ Stapulæ modus, quem præscriptionem immemoriam nuncupavimus. Cum enim hanc loco investituræ censeret, & per hanc omnem Jurisdictionem, omnia Regalia, & ea etiam, quæ summo Principi in signum eminentiæ dicata sunt. *c. super quibusdam. §. præterea de V. S. Matth. Steph. de Jurisdic. lib. 2. part. 1. cap. 7. n. 141. Franc. Pfeil. Conf. 194. n. 3. 4. & seq.* quicquid regulariter sub præscriptionem minimè cadit, jure occupari novimus: non video, quâ ratione huic saluberrimo beneficio invidere & denegare potestatem introducendæ stapulæ velimus: Accedit vulgatissima Eruditorum Regula, quod quæcunq; per Privilegiū sunt transmissibilia, indistinctè etiam ad acquisitionem exposita præscriptioni immemoriam existant. Obtinet siquidem hæc Præscriptio vim Contractūs, Justæ causæ, legis, veritatis, privilegii, Juris denique plenissimi. *l. 1. §. ult. l. 2. ff. de aq. plu.*

arc

arc. atque tantum potest quantum Imperator cum causa, mutat quadrata rotundis, *Basil. Disp. 5. vol. 3. lb. 24. lit. E* purgat omnia vitia & defectus quoscunque, neque sollicita quicquam de solennitatibus extrinsecis est, quas accessisse negotio præsumit tanti temporis antiquitas, *Magnif. Dn. Carpz. Tr. de leg. Reg. sect. 9. n. 21.* Quinimò vires suas exerit perpetuò & currit indistinctè contra quosvis, contra clausulas etiam, dispositionibus quandoque adjectas: nulla præscriptione obstante. *Reinking. de Reg. Sec. lib. 2. Cl. 5. cap. 2. num. 29.* Quancquam ejusmodi pacta, ut nulla currat præscriptio, vix alicujus momenti aut valoris censeantur: *Gail. 2. Obs. 18. n. 3.*

XIX. Hinc præscriptam ejusmodi Stapulam prætendens non opus habet causam possessionis suæ, sive titulum exponere. *c. 1. de præscript. in 6.* quod constitutum propterea à legibus est, quia elapso tanto tempore difficile foret probare titulum: quæ autem difficilia habentur, annumeranda impossibilibus in jure nostro veniunt. *l. 55 ff. fam. ercisc.* ad quæ nemo obligari vel astringi per Regulam comunissimam potest Neque ad bonam fidem allegandam tenetur, in cujus locum ipsa vetustas temporis succedit: *Franc. Pfeil. Cons. 194. n. 3.* propter quam vix poterit Judicium ferri, an bonâ an malâ fide Jus fuerit acquisitum.

XX. Quidnam dicatur tempus immemoriale, non convenit inter Dd: Alii centum annorum spatium illi præfiniunt, quos tamen refutant oculatiores, ideò quod in Jure species istæ ut distinctæ non semel allegentur, & plurimum Centenaria præscriptio differat, utpote quæ, si jus ei adversatur, probationem tituli necesse habet, *Steph. de Jurisd. lib. 2. Part. 1. cap. 7. n. 156* quod secus in immemoriali est: quancquam non negemus, tempus centum annorum quandoque nomine venire immemorialis spatii: *Habn. d. l. num. 7. verb. tanto tempore.* Alii opinantur, illud dici immemoriale, cujus initium neque per instrumenta, neque per testes, neque per alia documenta planè ullo modo ostendi potest, quia immemoriale nomen supponat & sonet quid infinitum: Nos tamen arbitramur, minimè impediri immemoriale tempus ex eo, quod constet, possessionem aliquam cœpisse post longissima quædam tempora, ut ducentorum, sexcentorum annorum. *Molina de Just. & Jur. Disp. 76.*

aliàs nec initium orbis nec diluvium superare vetustatis memori-
am, dicendum absurdè esset, ut *Wesenb. eruditè replicat cons. 2. num.*
§2. Atque proinde dicimus sufficere ad denominandum immemo-
riale tempus, si modò initium illius memoriam senum qui existunt
(quos Cravetta requirit ad minimum 54. annorum, ut de quadra-
ginta annis attestari queant *de antiq. temp. p. 4 §. absolutis. num. 20.*
Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 5. n. 154) etiam ex auditu & traditione suo-
rum antecessorum excedat, adeò, ut de eo nihil quicquam sciri
possit ex facili. *Steph. de Jurisd. lib. 2. part. 1. cap. 7. Reink. de Reg. Secul.*
l. 1. Cl. 5. cap. 2. n. 24. & seq. Quò collimare videtur *Magnif. Du. Carpz.*
Part. 2. const. 1. Def. 7. qui ideò bonam fidem in præscriptione im-
memoriali non attendendam esse dicit, quod hæc requirat ejusmo-
di tempus, cujus initium ignoremus; jam quæ hoc latet, quæ ju-
piciam de bonâ fide ferre poterit. Purgantur quippe omnia vitia
der antiquitatem temporis.

XXI. Ad probandam itaque Stapulam ex temporis immemo-
rialis exercitio, requiritur maximè, ut producantur testes canitie
venerabiles, qui asserant se semper vidisse & audivisse, quòd urbes,
quibus Stapulæ controversia fortè mota est, perpetuò ad se revo-
care prætervehentes negotiatores consueverint, item, se nunquam
vidisse aut audivisse contrarium actum ab istis locis. *l. 28. ff. de pro-*
bat ac idem semper à senioribus & majoribus observatum & di-
ctum quoad hanc consuetudinem fuisse publicamque hanc vocem
& famam existere apud eos, quibus res cognita esse potuit. Myns.
cent. 1. Obs. 30. & Steph. atq; Reink. dd. ll.

XXII. Reliquum tandem est, ut & tertio adquirendæ Stapulæ
modo satisfaciamus, quem diximus libertatem cujusvis Civitatis.
Per hanc intelligimus illam ipsam Majestatem, & plenissimam po-
testatem, quæ fruuntur civitates, quæ planè nullum superiorem a-
gnoscent, nec Imperatoris aut Principis alicujus imperio, vel Do-
mini territorialis jurisdictioni subjectæ sunt, sed quæ propriis legi-
bus vivunt & sibi ipsi tanquam superiores existunt: Cujus intuitu
Jura Principis habere dicuntur à *gl. in l. fin. de præscr. long. temp. & pro-*
vincias constituere separatas existimantur: quales sunt Genua,
Veneriæ, & similes aliæ. De ejusmodi civitatibus quando mi-

nus dubium est, quod Jura Stapularia exercere & introducere possint, propter supremam Majestatem, quâ quàm florentissimæ conspicuntur, & cujus proprias omnes omninò fecimus Stapulas: non est cur in exponendis hâc de re pluribus nunc ponamus operam: maximè quòd eadem fermè hîc dicenda veniunt, quæ jam in superioribus quodammodo pertractata sunt. Crambem itaq; bis coctam recoquere nolentes hâc vice etiam quoad modos acquirendi Juris Stapularis subsistimus.

CAPUT III.

De

STAPULA LIPSIENSIS.

I.

Mentio facta in priori capite Stapulæ Lipsiensis est, ejusdemque expositio hucusque reservata; ut ergò promissis sua fides constet, necessitas quædam hîc nobis imponi videtur, de eâ quàm brevissimis, pro viribus prætextati ingenii, monendi. Scilicet, quod Lipsiæ nostræ competat Jus erigendæ Stapulæ, nemo, ut opinor, negare poterit, quin invidi qui que fateri hoc necesse habent: testes hujus rei luculentissimi extant Diplomata Cæsarea non una: quæ descripta reperies apud Schneid. in Chron. Lips. fol. 367. & Leuber. in disquis. plan. Stap. num. 1665. quibus omnibus urbis patriæ Stapula nimium quàm privilegiata præter omnium oculos ponitur; redeunt simul in memoriam tempora antiquissima & proxima superiora, quæ huic Stapulæ omnibus modis exercendæ dederunt operam maximè. Neque excidit penitus Contradictorium jam olim per quàm notissimum, quod Stapulæ patriæ gratiâ inter urbem & alterâ parte inter civitates viciniore penè omnes, Halam, Naumburgum, Magdeburgum, Erffurdiam atq; alias sub initio statim indepti privilegii, exortum acerrimè erat, quæ catervatim quasi contra irruere, & plurima excipere conabantur, quod explicatum dederunt prolixè Leub. d. l. num. 1659. & Schn. in

Chron. Lips. pag. 354. in quo quàm felicissimè urbs patria tandem obtinuerit, atque quàm in majorem gloriam reportaverit Stapulam suam, pleni Historiarum libri sunt. Principe loco commemorandus nobis Maximilianus I. est, qui prima quasi fundamenta Stapulæ Lipsiensis Ao. Christiano 1507. jecisse videtur, per singulare Privilegium, quod præter Nundinarum patriarum confirmatione, de mercibus cujusque generis, intra quindecim milliaria circa Lipsiam revocandis, quàm gratiosissimè indulserat: *Heidenreich. in Chron. Lips. fol. 86. Schneid. eod. fol. 362. & 483.* Hunc insecutus Carolus V. novam vim, novumque robur Maximilianæ Stapulæ addidit, per novas ejusdem confirmationes, quas binas promulgavit, alteram ad Georgii Ducis Saxoniae intercessionem Ao. 1529. alteram ad supplicationem Consulis Lipsiensis D. Faxii Anno 1547. qui hujus rei gratiâ à Proceribus nostræ Civitatis tum temporis amandatus erat, ut nomine urbis patriæ de confirmandâ Stapulâ Imperatorè sollicitaret maximè. Cujus meminit inter alia *Magnif. Dn. Carpz. part. 1. Const. 30. Def. 23. vid. Schn. d. l. fol. 347. & 485.* Idem postea temporis præstiterunt Successores, quemadmodum prolixior Leuber hîc est *n. 1670. & seq.* usque ad tempora Ferdinandi III. qui Antecessorum suorum instituta veneratus ad intercessionem Illustrissimi Electoris Saxoniae Johannis Georgii I. pientissimæ memoriæ Anno 1638. omnia privilegia, tam nundinas quàm Stapulas Lipsienses continentia, renovavit, Maximilianam præprimis concessionem & Carolinas ambas, ratas de novo in omnibus, & quàm firmissimas declarans. *Leub. num. 1673. Schneid. in Chr. Lips. fol. 479.* Quid causæ extiterit, quâ inducti potissimum Imperatores Romani anteriorum temporum ut concederent Lipsiæ nostræ, singulari penè modo, tam benignissimam Stapulam, eamque omnibus sine discrimine mercibus tam majoribus quàm minoribus intra quindecim milliaria revocandis sufficientissimam, non est ut longè arcessamus; Res ipsa satis loquitur, nullam aliam allegari posse, quàm ab alterâ parte meritorum multitudinem, quæ Electores Saxoniae Serenissimi erga Rempubl. Romanam & totum orbem Christianum non modò in bellis difficillimis pro verâ Religione contra Pontificios jam olim, verum etiam

etiã quoties pro defensione Potentissimarum Domuũ Austriæ & Burgundiæ agendum ipsis fuit, tam præclarè exhibuere perpetuò, ut quamdiu pietas, Religio, invicti quæ animi constantia erunt in pretio, ipsi à se posteritati traditi, versaturi sint in animis hominum æternitate temporum fama rerum; ab alterâ, eximiam nostrorum patriæ patrum fidem, cuius ea Romano Imperio atque Electoribus Saxonix testimonia certissima ad admirationem usq; dederunt, ut neque periculosissima tempora ad labefactandam eandem, vel devotissimos cultus denegandos, quicquam præstare potuerint. Non jam decurrendi occasio in laudes atque commemorationes incomparabilium virtutum Saxonicarum est, quæ tantæ sunt, ut nec comprehendi à quoquam satis, nec verbis exprimi, licet iterumq; sæpiùs verba de iis fiant, unquam possint; contentos nos esse oportet in præsentibus ipsis diplomatibus Cæsareis, quæ in Chronico Lipsiensi apud Schneiderum hinc inde descripta reperiuntur, quæ luculentiora hujus rei documenta dabunt ex facili: quibus scilicet admirari ipsos deprehendemus Imperatores, maximas res, quas Serenissimi Saxones pro libertate Imperii, pro verâ Religione, inusitato prorsus exemplo perpetuò gesserunt, in tantum, ut ad concedenda iis earumque Civitatibus, privilegia gratiosissima, in honorem & memoriam perpetuam, non potuerint non induci. Ut taceam laudes, quas non exiguas propter summam Lipsiensium fidem, ipsi Imperatores suis diplomatibus inseruere: Præprimis tamen omnium maximè commendatus Invictissimus Heros, Dux Saxonix Illustrissimus Albertus, est, quò majorem armis ac pietate Principem ætas nostra vix vidit, cujus inter alia, inclytæ in Frislandiâ victoriæ ad omne ævum memorabiles, ipsi immortale nomen dextræ manus Imperii jamdum acquisiverunt: Cujus ipsius merita præclarissima effecerunt maximè, quòd urbis patriæ fides tam præstantissimum gratiosissimæ Stapulæ præmium reportaverit. An ante tempora Maximiliani I. Lipsia nostra, Jure quodam exercendæ Stapulæ floruerit, de eo jam non videbimus, remittimus cupidissima ingenia ad Leuberũ & Schneiderum, allegat. locis. Illud saltem dicimus, ex Privilegio Maximilianò demùm, Lipsiensem nostram Stapulam vires suas accepisse,

pisse, atque postea magis magisque increvisse. Plura moneri possent de Stapulâ patriâ, eaque prolixius quodammodo, sed ut dixi, instituti ratio, promissæque brevitatis studium vix quicquam amplius permittunt.

CAPUT. IV.

Quibus modis amittatur Jus Stapulæ?

I.

Debitum tandem suum adhuc consecrari quasi videntur illi modi, quibus demum amitti jus Stapulæ dicatur: quod pro ratione Methodi nostræ jam persolvendum omnino à nobis est, quæquam brevissimis. Et primo quidem, quando nihil tam convenientissimum naturæ existit, quàm aliquid eo modo, quo colligatum conspicitur, iterum dissolvi, *l. 35. ff. de R. J.* nullum planè dubium est, quin Nostrum Stapulæ Jus, si scilicet aliter laboranti bono publico occurrere non liceat, per contrariam Imperatoris vel summi Principis revocationem, amitti possit: *Carolus Tapia in l. fin. ff. de Const. Princ. Part. 2. c. 9. n. 33. Cujus rei Exemplum in causâ monetariâ refert Reink. de Reg. Sec. lib. 2. Cl. 2. cap. 8. n. 31.* Quod maximè de iis privilegiis, quæ non nisi ex merâ Principis liberalitate proveniunt, verum est, in reliquis enim, quæ per viam contractûs transeunt, citra præcedentem pretii restitutionem, vix ita revocatio fieri poterit simpliciter, *per litem si verberatum. §. 1. ff. de R. V. Natta Cons. DXII. Tom. 3.* Non levis autem causa nec quæcunque occasio & prætextus sufficit, sed gravissima & ejus qualitatibus, ut damno dato æquivalet: ubi demum verissimum est, quod dicit Enekel, Rempubl. adimendo privilegia nemini facere injuriam, cum sua tantum repetat, & quicquid Respubl. sibi impendit, etiam nobis impendere videatur. *lib. 3. cap. 6. n. 11. vid. Sixtin. de Reg. lib. 1. c. 6. n. 23. & seqq.*

II. Alteram amissionis causam substituimus enormius aliquod delictum ab eâ civitate, cui collatum Stapulæ beneficium est,

est, admissum, puta rebellionis, vel læsæ Majestatis, quæ expirare videntur ipso jure omnia, quæ modò concessa à Majestate Imperiali sunt, *c. gravem. X. de excess. prel. c. ista nos 25. quest. 2. Sixtin. de Reg. lib. 1. cap. 6. num. 38. Rumelin. ad Aur. Bull. Part. 2. Diff. 4. ib. 12.* quorum atrocitate Civitates non tantùm banniri, privilegiis atqve bonis privari, *per l. quisquis. l. Majestatis. c. ad L. Jul. Maj.* verùm etiam funditus everti & solo damnatam earum memoriam æquari posse, dicit *Gail. de pac. publ. lib. 2. cap. 9. num. 27. & seq.* De modo evertendi civitatem, & quomodo mori dicatur Civitas, est textus expressus *in l. si usufructus. ff. quib. mod. usufr. amitt. Dn. Erenk. de Privil. lib. 3. cap. 14. num. 8. & seq.* Privilegia enim læsis succurrunt non lædentibus *arg. auth. quâ in Provinciâ C. ubi de crim. agi op. & benè meritis dantur tantùm. l. 26. ff. de test. n. lit.* An civitas delinquere possit, controvertere solent Dd. nos affirmare hoc nulli dubitamus, quia colligi hoc ut plurimum ex ipsissimis legibus potest. *l. 9. §. 1. ff. quod met. caus. l. 160. §. 1. ff. de R. 7.* Et quidem tunc deliquisse dicimus, quando omnes de Civitate, vel major pars communicato consilio vel præcedente deliberatione progressi ad delinquendum sunt: Civitas enim nihil aliud est, quàm homines ipsius civitatis. *l. 7. §. 1. ff. quod cui univ. nom. arg. l. ult. ff. de coll. illic.* sive homines singuli, qui in unum corpus collecti, civitatem quandam faciunt. *Myns. Cent. 4. obs. 78. & 79.* Dixi: COMMUNICATO CONSILIO: scilicet ideò, quia nullo habito tractatu prævio neque factâ deliberatione aliquid facientes homines, non tanquam civitas sed tanquam singuli fecisse illud præsumuntur. Et hâc ratione etiam illi singuli essent dicendi delinquentes, at proinde soli simul puniendi, nec quicquam ipsi civitati imputandum, quæ potius immunis à pœna, & expers omnis criminis existet: *Gæddæus in comm. ad tit. de V. S. in l. 17. num. 20. & 22.*

III. Tertiam sistimus causam ipsum Stapularis Privilegii non-Usus, qui tantus est, ut propter hanc summam negligentiam, privilegiatas Civitates ad Jus commune redigat, omniqve facultate retrahendi posthac transeuntes prorsus exuat. Præsuppone tamen, quòd simul occasiones aliquæ exercendi stapulam intra dictum temporis spacium extiterint: harum enim ubi defectus deprehenditur, puta nemine propter bella, pestes vel alias causas,

ad destinatum Stapularem locum accedente, etiamsi longissimo tempore non exerantur Stapulæ, earum tamen privilegio nequicquam detrahi poterit, *arg. l. sed si. Attilicinus ff. de serv. præd. rust.* qui enim jure suo uti nequit, extra omnem culpam atque suspicionem moræ est, ac proinde nullâ negligentia pœnâ plectendus. *Vid. Enenk. de Priv. lib. 3. cap. 15. n. 26. & seq. Carol. Tap. in l. fin. ff. de Const. Princ. part. 2. cap. 1. Sixtin. de Reg. lib. 1. cap. 6. n. 30. Rumel. ad Aur. Bull. Part. 2. Diss. 4. tb. 12.* Et hic Non-Usus ejus censetur efficaciam, ut sicut aliæ leges atque Statuta tacito consensu per desuetudinem abrogantur. *l. 32. ff. de leg.* ita ille ipse omnia penè Privilegia infringere atque evertere penitus valeat *arg. l. 7. C. de his qui accus.*

IV. Succedit jam actus Contrarii exercitium, quo Stapulas non levem facere posse jacturam dicimus: scilicet si illius, quod beneficio Stapulæ indultum est, contrarium à Civitate privilegiatâ admittitur. Quod fit, quando transeuntibus præcluduntur viæ omnes, ad advehendas merces, & leges quædam promulgantur Statutariæ de non recipiendis negotiatoribus peregrinis: Hoc modo enim contravenientes privilegio dato ad revocandum totum prætereuntium cœtum, videntur ipsi renunciâsse *c. privilegium. n. 9. 3* Quod renunciationis genus locum etiam habere quoad Stapulas arbitramur, maximè quoad istas, quæ non tam ex necessitate boni publici, quàm ex arbitrio Principis concessæ sunt: cum cuiuslibet copia facta liberrima existat renunciandi suis immunitatibus, omnibusque Juribus in favorem singularem concessis, *l. 41. ff. de minor. l. 46. ff. de pact.* Quæ regula ita obtinet, ut etiam ea Privilegia, quæ non directò utilitatem publicam sed principaliter privatorum commoda atque merita respiciunt, cujusvis renunciationi propriæ exponere videatur: salvo tamen semper Superioris jure, si quod ei fortè in ejusmodi Privilegiis competat. *Enenk. de Privileg. lib. 3. cap. 16. n. 19. & 30. Rumel. ad A. B. Dissert. 4. part. 2. tb. 12. Carol. Tap. in l. fin. ff. de Const. Princ. part. 2. cap. 2.* Quot actus contrarii ad amittendam Stapulam reperiantur, meum jam non facio, videantur citati Autores & Enenkel præprimis, qui perquam eleganter hæc de re exposuit *lib. 3. cap. 15. num 19.* ubi inquit, quando actus repugnans Privilegio est in compatibiliis cum ipso Privilegio, nec

nec in eo potest cadere alia præsumptio, quàm renunciationis, tunc semper per contraventionem etiam unico actu factam renunciatum judicatur.

V. Neque prætereundus Abusus est, qui circa exercendas Stapulas committi solet, quem ultimo loco inter causas amittendi hîc memoramus. Contingit ipse, vel quoties extenditur Privilegium ad alia, quàm quæ ibi expressè comprehensa sunt, item quoties nimis exactioibus, immodicis tributis, aliis atque aliis pensionibus advehentes negotiatores molestantur, quoties eorum accessus propter viarum publicarum incultarum incommoditates impediuntur. Vid. maximè Menoch. concl. 75. n. 76. qui plura exponit de modis abutendi privilegio. Quo ipso quantum malorum accersatur, quàm apertissima fenestra conspiciatur ad repellendos externos, ad transferenda eorum commercia in loca remotiora, cuius videre ex facili est. Commerciorum siquidem felicitas quemadmodum ex consuetudine & dignitate adventantium negotiatorum dependet maximè, ita profectò vi quadam vehementi illa ipsa in Rempubl. introduci minimè possunt, sed quàm blandissimis verbis invitanda potius atque singulari humanitate tractanda veniunt. Per ejusmodi abusum itaque amitti stapulas diximus: scil. non quidem quasi ipso jure exspirent, sed quòd justissimam revocandi causam præbeant, quòd majus ex abusu boni publici præjudicium sentire potest Princeps. Quando enim novimus per generalem regulam, quemlibet mereri privilegii amissionem, qui concessa sibi abutitur potestate c. privilegium. 11. quæst. 3. l. auxilium ff. de minor. l. 11. C. de Jud. l. 4. C. de commerc. Carl. Tapia in l. fin. ff. de Const. Princ. cap. 7. part. 2. Sixtin. de Reg. lib. 1. cap. 6. n. 36. Myns. cent. 5. obs. 8. n. 5. Rumel. ad A. B. part. 2. Dissert. 4. th. 12. Et hoc propterea quod Reipubl. interesse videatur, ne quis re sua malè utatur. §. 2. Inst. de his qui sui vel alieni juris, non video quâ ratione in jure nostro stapulæ exceptionem facere velimus, nemini siquidem magis indignationem minatur Princeps, quàm eis, qui indulta privilegia ad aliorum injurias extendere consueverunt l. 5. C. de offic. rect. prov. Gail. de Pac. Publ. lib. 1. cap. 2. n. 22. Allegari possent causæ plurimæ, quibus stapulæ amittantur, sed exclusis tempore sufficiet ex multis pauca monuisse. Commendamus hac in re Dn. Enenk. de Privil. lib. 3. cap. 1.

C A P U T. V.

Quomodo Jus Stapulæ differat à Jure Nundinarum, Emporii atq; Geranii.

Finem huic dissertationi nostræ imposituri essemus nisi monendum adhuc existeret, quid diversitatis inter Jus nostrum Stapulæ & cætera jura, quæ affinitatem quandam cum ipso habere diximus, intercedat. Et quidem (1.) Jus Stapulæ à jure nundinarum differre videtur in eo, quod Jus nundinarum respiciat immediatè & primariò usum emendi & vendendi; Stapulæ verò Jus præter solum transeuntium appulsus nihil quicquam efflagitet, scil. si ratione essentiaè ipsum consideratur, non verò ratione existentiaè, prout ex consuetudine cujusvis loci hodie aliis atq; aliis ad auctum effectibus existit. Illud modestè nimis agere cum hominibus videtur, dum ad celebrandos mer-

90
553
OK

catus neminem cogit, sed omnes invitat potius, atque cuius advenientium arbitrio propriam mercium suarum dispositionem relinquit, in tantum, ut si nolit in vecta sua communicare civibus, liberrimè discedendi facultatem retineat; hoc Stapulæ verò Jus vi quædam coactiva imperat transeuntibus, ut accedant propiores & gradum sistant in locis illis, quos prætereire non exoneratis prius mercibus, propter Stapulæ beneficium, vix licitum est. Jus nundinarum intra certos limites se continet, & sua anni tempora constituta habet, quibus exercere illud possumus: Stapulæ autem Jus vires suas è diverso exercere quotidie & prætereuntium mercibus perpetuò, manum injicere in confesso est. Ut taceã vel inde quodammodo colligi posse horum jurium diversitatem, quod plerumque alterum sine altero plurimis in locis exerceri videamus; ita jus nundinarum concessum Civitatibus non unis est, quæ tamè jure Stapulari destitutæ maximè sunt: & vice versa citra nundinarum exercitium, Stapulas florere hinc inde conspicimus. Loccen. de jure marit. lib. 1. cap. 10. th. 5. Quod ipsum causæ est, quod Martinus à Meden in refut. script. contra Hamburg. vitio vertat Hamburgensibus, qui in scripto aliquo publico talem confusionem posuerunt, ut verbis ejus utar, quæ nundinas & Stapulas pro Synonymis habet. Klock, de contrib. cap. 1. n. 272.

II. Eadem propemodum certè similia dicenda (2.) de Jure Emporii in contradistinctione ad Jus Stapulæ sunt, quando juri Emporii interior quædam familiaritas cum jure Nundinarum intetcedit, & non nisi in eo potissimum hæc duo differunt, quod Jus Emporii adhuc prærogativam quandam metetur præ jure Nundinarum, respectu perpetui exercitii, dum scilicet omni exterarum nationum atque peregrinorum generi negotiandi atque merces suas adferendi vendendique copiam facit, pro eorum arbitrio & quovis tempore, hæc tamen sub cautione, ne perpetuò ibi morentur, aut tanquam quædam mercium domicilia sibi in iis Emporiis constituent, aliàs longè melior peregrinorum existeret conditio quàm incolarum atque civium. Quod juri Nundinarum tantum certis anni temporibus licitum est. Sunt quidem nonnulli, qui opinantur jus Emporii liberrimum aditum peregrino cuilibet facere, sed ita restrictum, ut advehentibus non nisi cum civibus Emporii, minimè verò cum alio peregrino commercium instituere liceat: at verò cum hætenus non viderimus, quem colorem hujus sententiæ invenire potuerint, vix dignam existimamus cui subscriberemus; provocamus potius ad observantiam omnium Emporiorum, in quibus contrarium demonstrari potest ex facili.

III. Tandem quomodo Jus Stapulæ differat à Jure Geranii ex primo capite patebit cuilibet, ubi hoc ex Jure vestigalium descendere, Stapulæ verò Jus ex ipsis commerciis, quibus quasi viam sternere videtur, productum esse diximus. Et quanquam hæc enumerata Jura singula, Emporii, Nundinarum & Geranii semper necessarium aliquem mercium appulsam circumferre secum, & ad instar Causæ sine quâ non, prærequirere videantur: quia tamen illa omnia eundem saltem per consequentiam, non primariò, nec immediatè intendunt, neque eo solo acquiescunt, quemadmodum à nostro Stapulæ jure fieri intelleximus; nihil prohibet, quò minus Jus Stapulæ distinctissimam ab istis speciem facere velimus. Tantum.

1077 n. 5

fi 88634

JUS

IN UT

IN PUBL
AD DI

GEORG

DE

H

Vol. 3

Yc
5531

AE

RES

ITER
NI

lewein.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

